# LEODEGARII
## A QVERCV PRAE-
LECTIONVM ET POE-
*matum Liber.*







PARISIIS,
*Apud Thomam Richardum, ſub Bibliis aureis, ex aduerſo Collegij Remenſis.*
1549.

# Ad ampliss. virum

## D. GVILELMVM A Prato episcopum Claromontanum.

*Vnum præ cunctis quòd te demirer, amenq́;,*
*Vni præ cunctis has sacro primitias:*
*Quas si pro cunctis vnus mireris, amesq́ue,*
*Vni pro cunctis posse placere sat est.*
*Quanquã non vni, sed cũctis (fortè) placebo:*
*Nam cunctis vnus (vir memorãde) places.*

### Ἀνωνύμου.

Τοῦτον ἐπερχόμενος λόγον ὄμμασι, ὅτί γε θαμβεῖς;
Εἵνεκεν εὐπρεπίης, εἵνεκεν εὐεπίης.
Θαύμαζες πλέον ἂν καὶ ἰδὼν νῦν (οἷά περ ἄλλοι
Τὸ πρὶν) ΔΡΥ͂Ν αὐτὴν μελπομένην λιγυρῶς.
Ἔπρεπε τοιαύτην τὴν ΔΡΥ͂Ν ποτὲ, ὧδε λαλοῦσαν
Θνητοῖς ἀθανάτου νεῦμα λέγειν Κρονίδου.

# Præfatio qua Leode GARIVS A QVERCV vsus est quum aggrederetur interpretationem. L. Cùm in longi. C. de præscr. long. tẽp. 10. vel 20. ann. in publico Iuris Ciuilis Auditorio Tolosanc. XII. Calend. April. 1548.



*Xploratum eſt omnibus qui paulò magis in hiſtoria naturali verſati ſunt (Auditores optatiſſimi) eam elephantibus ingenitam pietatem, vt ſi quos homines deuios conſpexerint, ſtatim in viam reducant. Quo exemplo moniti Athenienſes initio ſanxerunt, vt eſſet capitale non monſtrare erranti viam. Poſtea verò quàm obſeruaſſent longè periculoſius eſſe, animo quàm pedibus labi, ita ſedulò proſpexerunt imperitis, vt non fuerit in vniuerſo terrarum orbe maior bonarum diſciplinarum officina quàm Athenis. vbi Grammaticorum*

*literæ, oratorum colores, dialecticorum syllogismi, musicorum toni, arithmeticorum numeri, geometrarum dimensiones, astrologorum motus, medicorum alexipharmaca, chirurgorum cataplasmata, Romanorũ decemuirales leges, vbi denique (si triuiales artes respexeris) quicquid ad pingendum, sculpendum, fingendum, texendum, tingendum, aranum, ædificandum, ac ne singula persequar, quicquid ad humanæ vitæ vel necessitatẽ, vel voluptatem, vel honestatem, pertineat, natum, educatum, & traditum fuit. Vt autem non mediocrem inde laudem Athenæ sunt consequutæ quòd hæc omnia primum inuenerint, ita maiorem Tolosa laudem meretur, quòd ab alijs inuenta, meliora reddiderit. Si enim conferre libeat Tolosam cum Athenis, nemo futurus est tam parum æquus rerum æstimator, cum iudicet Tolosam Athenis palmam in omnibus præripere: Quandoquidem si initium dicendi sumere velim à legibus, certum est neque leges, neque Senatusconsulta Athenis ita scribi potuisse, vt omnes casus qui quandoque inciderent, comprehenderentur. At Tolosæ ita docetur ea quæ legibus desunt, vt omnes articuli, & casus sigillatim tradantur, veriq́ue intellectus ex ipsa*

*Iuris medulla eruantur: quæ tanti eſſe momenti conſtat, vt ſine illis leges non magis ſufficiant, quàm illa ſine legibus: Per eos autem profeſſores exponuntur qui virtute, grauitate authoritate, conſilio, prudentia, peritiáque non modò Iuris vtriuſque, ſed etiam omnium artium, ſic excellunt, vt ſi funditus interirent leges, melius ab illis ex integro ſcribi poſsint, quàm ab antiquis legum latoribus. Nec dubito quin ſi per ea floruiſſent tempora quum Romanorum publica authoritate miſsi ſunt in Græciam legati vt duodecim tabulas conſcriberẽt, non Athenas, ſed Toloſam ad noſtros Iuriſconſultos peruentum eſſet. Aut ſi non noſtro, ſed Imperatoris Iuſtiniani ſeculo naſci illis contigiſſet, nemini dubium eſt quin contemptis Triboniano, Theophilo & Dorotheo, in conſilium adhibiturus fuerit Toloſanos Iuriſconſultos pãdectis architectandis. Quod ſi eſſet factum (dij immortales) quis non videt vſuros fuiſſe ea diligẽtia, & fide, vt nihil ſimile, nihil repugnãs, nihil contrarium, nihil truncum, nihil mutilum, nihil nimium, nihil parum, nihil quod nõ in quadrum & numerum redegiſſent? Quid verò de Iuris pontificij doctoribus dicam? eſſe illos ornamento Toloſæ? an Toloſam ornamen-*

*to illis? Equidem fateor ornari lectores, vrbis celebritate: sed vrbem celebriorẽ reddi per disertos lectores. Quoad autem longissimè potest mens mea respicere, nullos vel vidi, vel audiui (pace superiorum dixerim) magis facundos præsentibus, magis faciles, magis solertes, magis in officio. Itaque huc tanquam ad mercatu ram legum, vndique confluunt tot auditorum millia dicam? an myriades? myriadum millia si dixero, vix videbor quod satis est dixisse. vt quum nusquam gentium ampliora putẽtur auditoria hisce tribus Tolosanis, tamen suæ frequentiæ adeò capacia non sunt, vt ne dimidij dimidium continere queant. Sed qualium auditorum (deos obsecro) hæc frequentia? stupidorúmne & plumbeorum? Imò adeò eruditorum, vt cum vnus instar septingentorum haberi debeat, vno cõtentus lector esse possit, vt Aristotele Plato, aut Platone Antimachus. Veruntamẽ ne quis me putet assentari quòd in os laudem, conuertam orationem à legum studiosis, & professoribus, ad magistratus qui legibus præficiuntur, intelligo Præsides & Senatores: cum quibus si contulerim Athenienses Areopagitas, quis non videat perinde sim facturus ac olim Virgilianus Tytirus, Qui cani-*

bus catulos similes, qui matribus hœdos norat, qui paruis componere magna solebat? Areopagitis animus ita pusillus fuit, vt noctu iudicarent, & exordiis atque perorationibus interdicerent, ne vel affectibus, vel reorum lachrymis flecterentur: Tolosanis ea fortitudo, vt nec meridiana luce vllis motibus perturbētur: Areopagitis ea leuitas, vt quod vno die suasisset Demosthenes, idem altero dissuaderet: Tolosanis ea constantia, vt ne Pytho quidem à sentētia deducere poßit. Areopagitis ea mollities, vt meretrix Phrine nudatis papillis, iudicij flāmas effugerit: Tolosanis ea seueritas, vt nō magis pulchritudine moueātur, quàm Aphricanus superior tempestiua, formosáque virgine, quam bello captam, patri inuiolatam reddidit. Sciūt enim Tolosani (quod à Salustio proditū est) omnes homines qui de rebus dubiis cōsultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia, vacuos esse oportere. In quorum ego laudes penitius non ingrediar, quòd semel ingresso, difficilior exitus inde mihi daretur quàm à Dedaleo Labyrintho: Neq; mehercule laboris minus insumeretur in legū (quas administrāt) præconio: quas vt pro dignitate cōmendare tā facile poßem, quàm alacriter cuperē, non esset satis,

cẽtum mihi poſcere voces, centum ora & linguas: ſed me totum uerti in linguam, & eam Mercurij, vos autem totos in aures, & eas Coriceorum: Nec tamen vos, audiendo, nec ego dicendo ſufficeremus. Quæ enim tam diuina vis ingenij poßit exiſtere, qua quiſquam laudes cõprehendat Iuriſprudentiæ? Cui vni omnia inſunt quæ omnibus artibus aſcribi ſolent? Theologia nos edocet pietatem in Deum, iuſtitiam in homines, Iuriſſapientia præcipit honeſtè viuere, alterum nõ lædere, ſuum cuique tribuere: Philoſophia, rerum diuinarũ & humanarum vim, naturam, & cauſas, ſe tradere gloriatur. Iurißapientia eſt diuinarum atque humanarum rerum notitia: iuſti, atque iniuſti ſcientia: Medicina morbis medetur, Iuris ſapientia litibus (quanquam authore Hippocrate natura plerunque ſola ſine medico morbos profligat, lites nullus ſine Iuriſperito) Geometria fines metitur, Iuris ſapientia fines regit. Muſica, vocum quadam ſymphonia, corporis aures titillat, Iuris ſapientia ſuauitate orationis, in qua grauitas ſcientiarum cum pondere verborum certat, totum animum permulcet, Arithmetica ſupputandi rationem præſtat: Iuris ſapientia aſſem in vncias diuidit, hæredi-

*tatem in partem distribuit, legata in frustula partitur. Et profectò nihil esset quod ad calculum reuocaremus, aut cuiquam legaremus, ni si Iuris sapientia doceret ab alienis mentes & manus abstinere: Dialectica, Rhetorica, Grãmatica, quòd non tam sint artes quàm artium instrumenta, non minus erubescerent conferri cum Iuris sapientia, quàm loquaces picæ cũ Philomela. Huic igitur artium principi fasces submittunt, & dominam fatẽtur: Petite hinc iuuenésque senésque finem animo certum, miserísque viatica canis, & sinite philosophos ægroti veteris meditari somnia, gigni de nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti. Relinquite medicis suas matellas, Geometris circinũ, Arithmeticis puluerem, Musicis nænias, Dialecticis meandros, Rhetoribus fucos, Poëtis gerras, Grammaticulis alphabetum: & hanc Iuris sapientiam ambabus vlnis amplexamini, vt fœliciter decurso legum stadio, tandẽ Reipublicæ clauum princeps uobis committat, & tanto sublimiorẽ honoris gradum conscendatis, quanto Iuris sapientia reliquis disciplinis eminentior iudicatur, secus si fiat, videtote ne fœdum sit mansisse diu, vacuósque redisse, dedecorantes professorum authoritatem, & vr-*

bis Tolosanæ, quæ legum mater semper habita fuit. Quamobrem quis Tolosam nō amet? non miretur? non efferat in cœlum laudibus? apud quam omnia, quæ ad linguam poliendam, animum moribus ornandum, familiam regēdam, Rempub. administrandam, in summa, omnia quæ ad vsus vitæ varios spectent, abundè suppeditentur? iudico equidem, & verè forsan iudico, vel esse falsum, vt Ennius somniando factus sit poëta, vel esse verum, vt vigilādo Tolosæ, fiant statim legum periti. Vt enim vestes quæ cupreßino armario aliquandiu continentur, cupressum olent, sic qui Tolosa (fragrantißimo legum sacrario) pauculis diebus clauduntur, odore legum solent perfundi. Fitque ideo vt auditores Tolosani, doctrina vincant aliarum ciuitatum professores. Itaque tam impudenter facere videri poßim qui docēdi prouinciam apud vos suscipio, quàm stultè in fabulis Amphiaraus, qui prudens & sciens in Thebanum bellum profectus est, in quo sibi pereundum, oraculo didicerat. Quanam igitur re impelli ad hoc munus me dicam? amicorum precibus? at id excusationibus tritum, & proculcatum: Aliorum exemplo? quasi non me patiantur dormire Milciadum trophæa? inuidio-

*ſum: cupiditate laudis? ſuperbum: cæco furore? inconſideratum: fiducia doctrinæ? ineptum: veſtra facilitate? id quidem vnum: Omnis enim ſpes oneris ferendi in veſtra ſita eſt comitate, quando annis iam quatuor ſum expertus vos ſolitos Neoptolemis conniuere. Itaque cum huius authoritatem loci contingere ſtatuerem, non tam quid, & quomodo, quàm apud quos dicturus eſſem cogitaui: Nec tamen tum eram neſcius oportere ineſſe lectoribus facundiam dicendi, copiamque diſſerendi, illis potiſsimum qui Iuriſprudentiam audent profiteri, quam M. Tullius diſertam eloquentiam vocat, quòd ſine luce verborum eſſe nequeat, neque rerum ſuarum pondera efferre, ſiue in foro verſetur, ſiue in ſcholis tradatur, ſiue ſcripto proponatur. Sed in eam partem meos conatus accipi velim, vt cum minus prouectis ſtudia venerim communicatum, non vt doctos (quaſi delphinos natare) doceam. Ac ſi quis obiecerit eſſe indignum grauitate huius legalis theatri non facere omnia grauiter, & ornatè, eaque cauſa me, meique ſimiles gerrones, ſibilis explodendos: idem illi reſpondebo quod Iſmenias diſcipulis, non ſolùm audiendos*

*eos tibicines qui optimè canerent, ſed etiam eos qui peſſimè, vt intelligatur hoc modo canendum, illo modo non canendum: Sic ego (quandiu loquar) æquo animo ſum audiendus, vel vt exemplo meo debilitati tyrunculi nunquam huc prodeant niſi paratiores, vel vt balbi balbum rectius aſſequantur, vel vt ornatiſsimis aliis profeſſoribus comparatus, eorum præſtantiam, præſtantiorem monſtrem, more vilium edulliorum quæ collata lautitiis lautiores haberi faciunt. Quum igitur non mea, ſed ſtudioſorum cauſa prodierim, ſtudioſos enixè precor ne dum prodeſſe conor, mihi noceant: ne ve tam feros, aut ferreos ſe præſtent, vt reprehenſione potius quàm venia me dignum putent, quòd huic honeſto labori, nō ſegnitiei me dediderim: in quo negotio ſi eū curſum non teneam quam deſiderant, & eorum purgatas aures non ſatis expleam, meminerint idem in animi quod in corporis conuiuio faciundum: tres ibi conuiuæ ſi diſſentire videntur, poſcentes vario multum diuerſa palato, nemo tamen tam impudens eſt vt deſpuat in cibos quos negligit: ſed prætereat ſi quid non facit ad ſtomachum. Ita ſi cui non arrideat meus cona-*

*tus, sine molestia recedat, adturus operam doctiori, & me amiculis relinquat, quibus omnẽ meam (quantulamcũque( operam ita polliceor, & defero, vt nihil sit tam difficile futurum, quod eorum causa susceptum, mihi iucundum non videatur.*

*D I X I.*

Deo gloria, & gratia.

# Præfatiuncula Leodegarii a Quercu in Institutiones ciuiles, quas Lutetiæ professus est.



Xistimaui semper cum M. Cicerone (auditores) nullam esse rem, qua nostris ciuibus prodesse magis possimus, quàm si optimarum artium vias, illis tradamus: propterea quòd artibus alios anteire tantò laudabilius iudicetur, quantò artes pecuniis præponderant. Verùm vt sit honestū proficere quàm plurimis, tamen proficiendo placere, non est perinde vsitatum, præsertim apud tantam frequentiam, quantam nunc intueor. Vt enim in cibis alius alio delectatur, sic in tradendis disciplinis, alius professorem barbarum, alius eloquentem quærit. At cùm tu facundè dixeris, rudes non intelligent: cum ruditer, facundiæ studiosi nauseabunt: Quum verò textum sine allegationum ostentatione interpretaberis, & ex eo medullam, quasi ex herbis succum exprimes, erunt qui te pauca legisse opinētur,

& allegationum plaustra desiderent: Sin te ad lectionis pompam componas, videberis non tã auditorum commodo, quàm tuæ laudi seruire: Itaque si probari velis, & eorum intueri voluntatem qui audiunt, ad eamq;, & eorum arbitrium te fingere, necesse est vt eodem tempo ris articulo, & ornatè, & sine ornatu loquaris, adducas testimonia, & testimoniis abstineas. Quæ quum facilia factu nõ sint, putaui ini tio non satis consideratè me facturum, si huc prodirem: atque vt ita putarem, aliæ quoque rationes impellebant: videbam more maiorũ ita esse comparatum, vt qui corporibus curan dis malè suo officio functus esset, lege Aquilia teneretur: Nam licet medico imputari euentus mortalitatis non soleat, tamen quia imperitia, culpæ annumeratur, non est æquum vt prætextu humanæ fragilitatis delictũ maneat impunitum. Sed enim, cùm animus dignitate cor pus anteuertat, (ille enim cum diis, hoc cum beluis nobis commune est, illius imperio, huius seruitio magis vtimur) timebam ne grauius in me quàm in corporum medicos, insurgeretur, si animis non sat disertè mederer: Videbam deinde esse in hac ciuitate (quæ domicilium est imperij & consilij, quæ est officina virtutis et

literarum) peritissimos iuris vtriusque, à quibus diligentius, quàm à me inuentur rudiores. Quid enim aliud à Quercu expectetur præter rusticas glandes? Contrà, quid non præstent iurisconsulti Lutetiani, quibus nihil est ignoratum? Eapropter hoc periculosæ plenum opus aleæ totum illis reliqueram: non ignarus quanta esset rei magnitudo, quam susciperem, quantum Lutetiæ nomen, quantus auditorum concursus, quantum ingenium, quanta expectatio de illis qui lecturi prodeunt, quanta peritia eorum, qui adhuc prodierunt. Quòd si vt in syluis tubera, fungi, & boleti quercubus assidēt, ita mihi stipites & caudices astarent, possem videri perquam doctus., sed Lutetiæ, vbi & suggestus, & plutei, & parietes literas norūt, vix alio in numero, quam inter gregarios haberi queam. Cæterùm, cùm alia ex parte mecū cogitarem, solere vsuuenire, vt quantò quisq; nominatior sit, tantò magis abhorreat ab Institutionum professione, propterea quòd metuat, ne ad nuces redire videatur, aut si quando interpretetur, faciat negligentius, quòd sit contētus parta iam laude. Ille autem, cuius fama in obscuro iacet, contendat remis & equis vt accuratè legendo, nominis gloriam sibi cōparet,

*ſuis autem germanum intellectum: putaui mearum eſſe partium, vt quum Cadurci, Pandectas, Toloſæ codicem viris externis legerim, nunc Lutetiæ ciuiles institutiones amicis exponam, qui nullos progreſſus in iure fecerint. Satis enim non eſt, quòd paruulis olim lac poëſeos & Rhetorices, annis quatuordecim dederim, niſi adultis, nequando conſulere intermittam, ſolidiorem cibũ, hoc eſt, iuris perdices & phaſianos ſuggeram: Id quod ſum facturus ideo libentius, quòd literæ humaniores ſine iuris cognitione perfectè teneri nequeant. Quis enim Cic. Topica, dialogos de Legibus, de Oratore ad Q. fratrem, Officia, Epiſtolas, ad Trebatium, & Atticum, Actiones in Verrem, Orationes pro Cecinna, pro Quintio, pro Cluentio, atque adeò reliquas, quæ Legibus ſcatent. Quis (inquam) niſi legum peritus intelligat? Quis tot ex iure deſumptos locos Terentij, Horatij, Iuuenalis, aliorumque notæ melioris authorũ aſſequatur, niſi in iure verſatus? Ac ne meo potius quàm Cic. iudicio credatis legum peritiam eſſe oratori neceſſariam, audite quid vir tantus ſcripſerit, dum oratorem informaret. Perdiſcendum ius ciuile, cognoſcendæ leges, percipiẽda omnis antiquitas, ſenatoria conſuetudo*

*disciplina Reipub. iura sociorum, fœdera, pactiones, causa imperij cognoscenda est. Quarũ rerum quum essent inscij Hypseus & Octauius oratores, à Cicerone sic notantur. Quid enim hoc fieri turpius, aut dici potest, quàm eũ qui hanc personam susceperit, vt amicorũ controuersias, causasque tueatur, laborantibus succurrat, ægris medeatur, afflictos excitet, hunc in minimis, tenuissimisque rebus, ita labi, vt aliis miserandus, aliis irridendus videatur? Nam volitare in foro, hærere in iure, ac prætorum tribunalibus, iudicia priuata magnarũ rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate ac iure certetur, iactare se in causis cẽtumuiralibus, in quibus vsucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluuionum, circunluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorũ ruptorum aut ratorum, cæterarumque rerum innumerabilium iura versentur, cùm omnino quid suum, quid alienum, quare denique ciuis an peregrinus, seruus an liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiæ. His de causis (Auditores) velim esse vobis author, vt elaboretis in iure, cuius cognitio si esset magna ac difficilis, tamen vtilitatis magnitudo debe-*

ret vos ad suscipiendum discendi laborem im pellere, quando nulli studio maiora proposita sunt præmia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem: Neque id immeritò, cùm lex (authore Demosthene) sit inuentio quædam & donum dei, decretum sapientum, correctio peccatorum, ciuitatis compositio, secundũ quã omnes decet viuere, qui in ciuitate sunt. Itaque Heracletus pro lege non minus quàm pro mœ nibus pugnandum iudicauit: quoniam sine mœ nibus esse incolumis ciuitas potest, sine lege non potest, quæ est vinculum dignitatis, qua fruimur in Repub. fundamentum libertatis, fons æquitatis, mens & animus & sententia ciuita tis. Vnde factum est, vt apud Locros, qui legem abrogare vellet, laqueo circunducto collo id fa cere oporteret, vt si visum eßet abrogationem fieri, liberaretur: sin minus, statim contracto la queo strangularetur, vt is qui iniuriam facere ausus eßet, legislatori, & legi receptæ olim publico omnium consensu: videbant enim Locri, si nec moribus nec legibus regerentur, fore vt beluarum ritu viuerent, nec plus haberent inter se tranquillitatis quàm beluæ, vt quantò quis viribus magis polleret, tantò plus in tenues haberet potestatis, non domus, non con-

iux, non liberi, non vita, non denique quidquã in tutò esset: nutu enim & authoritate legis docemur domitas habere libidines, coërcere cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, & manus, & oculos, abstinere: O igitur vĩ legis maiorem quàm eloquentiæ, O peritiam iuris vtiliorem quàm poëseos: Vtinam eius suauitatem iam tũ potuissem odorari, quũ quietem studiis humanitatis impetraui: Sed quoniam passim audiebam disciplinam medẽdi valde facere ad farinas & ad iucunditatẽ vitæ, quid enim vtilius quàm corporis curandi peritiam habere prõptam & expeditam? quid iucundius quàm naturæ causas cognoscere? Ideo in medicinam incubui menses vndeuiginti: deinde (vt est hominũ ingenium versatile, & cupidũ & propè inexplebile: Inuasit me noua cupiditas voluendarum etiã Pandectarum: in quibus ego cũ viderem tantam rerum scientiam, tantã verborum elegantiam, tantam sententiarũ grauitatem, dij immortales, vt me piguit aliorum studiorum, vt me puduit ætatis infœliciter traductæ in poëtarum fabulis, oratorum lenociniis, medicorũ vrticis? Vt cũ Corydone statim exclamaui: Eheu quid volui misero mihi? floribus austrum perditus, & liquidis immisi fontibus

apros? Equidem vt post aromatarium vinum, vulgare videtur acidum, vt post placentas & bellaria, panis nihil ad palatũ facit, ita post amœnitatẽ sanctissimarum legũ ciuilium, reliquæ artes mihi fœtere cœperunt: Itaque (auditores) si bonum est aliena frui insania, facite nũc periculum ex me, quod vobis ex vsu siet. Leges ediscite, quæ adulescentes delectant, viros nobilitant, senes à solitudine vendicant, pauperes locupletant, priuatos magistratibus ornãt, virtutibus præmia largiuntur, vitiis pœnas infligunt, pacem conciliant, denique sub quarũ authoritate suæ cuique res, & vita in tuto cõseruantur: In his vestrum sit otium, vestrum negotium, vestra quies, vester labor, vester somnus, vestræ vigiliæ. Quod si erit à vobis factum, adeò facti non pœnitebit, vt aliquando dicturi sitis, nulla in re vestrã industriam potuisse vtilius collocari, cùm sentietis paruos labores magnis præmiis compensari.

DIXI.

Deo gloria, & gratia.

# Leodegarii à Quercu ORATIVNCVLA QVA est vsus quum pandectarũ interpretationem aggrederetur Lutetiæ.



Magnæ plenum prudentiæ (auditores) illud censetur Varronis consilium, vt priusquam agro colendo quis operã sumat, diligenter consideret quàm pinguis tellus, quàm ferax, quàm non obsita vepribus, quàm apta ad sementem, ne frustra sudet, in exercẽdo sterili solo. Qua decet omnes vti prudentia qui literas profitentur, ne operis interpretationẽ antè suscipiãt, quàm expenderint, quid inde frugis decerpi possit: ne & suo nomini parũ consulãt, & suis auditoribus non satis prosint: est enim insaniæ proximum, attingere rẽ quæ nostris studiis nihil fœneret. Ea de causa cum à Cicerone didicissem, ius ciuile superare authoritatis pondere, & vtilitatis vbertate bibliothecas omnium philosophorum, adieci animum ad exponendas Pandectas, vt ex illis

tanquam ex Amalthææ cornu vobis omnia suppeterent. Si enim poëtarum propriũ est delectare, delectabunt Pandectæ, quæ poëtarum suauibus versibus scatent: Si oratorum dicendi copia linguas perpolit, magno vsui sunt futuræ Pandectæ, quæ ita eleganter scriptæ sunt, vt addubites vtrum plus verba rebus, an res plus verbis debeant: Si philosophorum diuinæ sententiæ mores componunt, ad illos valent Pandectæ, cùm ex philosophorum placitis sint conflatæ: itaque omne ferunt punctum, quia miscent vtile dulci. Vnde si Romani quondã Senatores decreuerũt, vt ex principum filiis, sex singulis Hetruriæ populis traderentur ad ediscendam rerum fortuitarum prædictionẽ, quæ vana est, cur ex hac nobili ciuitate, quæ heroica parit ingenia, non turmatim euolant ad leges ciuiles, quæ ab omnibus intelligi debent, vt earum præscripto cognito vel prohibita declinent, vel concessa sectentur? vt intelligant cuius muneris colendi, efficiendique causa nati & in lucẽ æditi simus, vt sciant quantam vim optimarum rerum habeat ius, quod est ars boni & æqui, aut potius mens æterni & omnia regentis dei? Sanè aliud rationis esse nõ puto, quàm quòd neque oculis pulchritudinem,

*neque animo vtilitatẽ legum contemplantur: tum enim adeò mirabilem sui amorem excitarent, vt non secus ac lothos arbor in Aphrica suauitate fructus aduenas retinet, ita qui semel gustarent legũ condimenta nõ possent ad alias disciplinas auocari. Etenim Tolosæ, Cadurci, Valentiæ, Aureliæ, Pictauij, Biturigibus, atq; adeò reliquis in vrbibus vbi iura loquũtur, reliquæ artes silent, Lutetiæ autem vbi omnes artes (quæ sunt homine libero dignæ) magnificè traduntur, legibus ideo locus non est quòd aduentu legum oporteret omnes legibus cedere: Vt enim sol radiis stellas obnubit, ita iurisprudentia suo fulgore, artium luminibus obstruit: vt iam non sit mirum eadem inuidia ius Lutetiæ exulare, qua olim Hermodorum Ephesõ, quòd laudem omnibus præriperet. Verũtamen quando hoc vnum sensi deesse Lutetiæ (vt sit omni laude cumulata) quòd iuris ciuilis professores non habeat, surrexi potissimum ad docendum, non ea quidem arrogantia vt his qui tacent me anteferã consilio & doctrina, sed quòd tacentibus omnibus oportebat negotiũm ab aliquo suscipi, qui prudentiã à se desiderari mallet, quàm erga studia beneuolentiam: auguror enim (nec forsan fallet auguriũ) permultis, &*

iis valde peritis, me fenestram aperturum, qui æmulatione mei non secus moueantur quàm olim Aristoteles Isocratis schola, vt sibi turpe putent silere, me verò pati loqui. Quod vbi cõtigisse videro adeò dolenter nõ feram, vt omnibus lætitiis tum sim lætus futurus. Quid enim mihi iucundius quàm vt leges quæ in barbaris ciuitatibus exulant, vocentur Lutetiam, quæ tantùm alias inter caput extulit vrbes, quantum lenta solent inter viburna cupreßi? Quid optatius quàm vt sine artium liberaliũ iactura, sit hîc suus legibus locus? Quæ res ob vrbis amplitudinem nunc facilius quàm initio fieri posse putanda est. Enimuerò si non adimit apud antipodas syderibus lumẽ sol cùm superas collustrat lampade terras, in eundem modum non officiet aliis disciplinis ius ciuile, si hoc in vna, illæ in alia vrbis parte tradãtur. Ad iuris autem cognitionem vos eò vehementius cohortor, tum quòd turpe sit ignorare quod honestum & necessarium est omnibus intelligere, qui & eruditi numerari volunt & in eruditorum libris nõ cæcutire, tum quod Plato (cuius iudicium instar oraculi semper fuit) existimarit lõgè honoratius alios vincere iuris peritia, quàm palæstra in ludis olympicis: At obiecerit

quiſpiam quòd oratorum princeps Demoſthenes opinaretur laudabilius nihil eſſe quàm ob eloquentiam digito mōſtrari & dicier hic eſt: nec non quòd Cicero memoriæ prodiderit, nihil eſſe præſtabilius quàm poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quo velis, unde uelis deducere: nihil admirabilius quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere vnum qui id quod omnibus natura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poßit: nihil iucundius oratione grauibus ſententiis, & ornatis verbis polita: nihil potētius quàm populi motus, iudicum religiones, ſenatus grauitatem vnius oratione conuerti: denique nihil tam neceſſarium quàm tenere arma, quibus vel tectus eſſe poßis, vel prouocare improbos, vel te vlciſci laceßitus, & quo vno homines maximè beſtiis præſtent, in hoc hominibus ipſis antecellas. Quæ omnia (auditores) & iuriſperito ineſſe, & tamen in grauioribus verſari tum intelligetis, vbi rhetorem cum iuriſperito componemus: rhetor (neque enim mihi ſermo de oratore, qui eſſe non alius poteſt quàm iuriſperitus) rhetor inquam à pueris in ludo conſulitur, de generibus cauſarum, de virtutibus exordiorum, de differentiis ſtatuum, de

*ordinibus partium, de ſedibus affectuum, de nomine colorum, & numero figurarum. iuriſperitus in Senatu diſceptat, aut de ſuſcipiendo bello, aut de fœdere feriendo, aut de paciſcendis induciis, aut de pace conſtituenda, aut denique de negotiis ad Remp. pertinentibus: rhetor eandem ſæpius incudem tundens, ſemper de dicendo dicit, cũ id ipſum dicere nunquã ſit non ineptum, niſi cum eſt neceſſariũ: iuriſperitus quotidie rebus nouis & eiſdem arduis adhibetur in conſilium: rhetor in angulis, in vmbra, in puluere, in piſtrino de gerris declamitat: iuriſconſultus in luce imperij, in foro, in curia, in roſtris, in cœtu magnatum, in conuentu principum, in regia monarcharum ſolet eſſe rei ſententiæq́; moderator: denique (vt ſemel finiam) iuriſconſultus in puppi, Reip. clauum tenet, cũ rhetor in ſentina ſedeat. Sed quid ego apud vos eloquentiæ candidatos rhetoricen, quaſi apud Actæones venationem tã parui duco? an quòd rhetorices odiũ me cœperit? nullũ, ita me amẽt muſæ, neque enim hanc odiſſe poſſum, quæ me ſuo lacte nutriuit, ſed quòd rhetoricandi finem præſtitutum eſſe velim. Itaque (viri eloquentiæ ſtudioſi) educite dictionem ex hac domeſtica & vmbratili exercitatione in mediũ agmẽ,*

in arenã, in clamorẽ, in castra, atq; aciẽ forensem: subite vsum Reip. & sua pueris serperastra sic relinquite, vt ad vos iam non attineat vtrũ pappare minutũ poscãt, & mammæ ira ti lallare recusent. Alioqui nunquã opum, nunquam honorum, nũquam famæ immortalis ia nua vobis patebit. Quòd si diuitiarũ, & honorum gloria fluxa atque fragilis est, virtus clara æternaq; habetur, quæ poßit esse virtus maior, quàm vt viduas tuearis, pupillos defendas, innocẽtes à pœna liberes, sceleratos in crucẽ agas, rudes formulis instruas, consultoribus hastas ministres, de iure respondeas, & oraculum sis ciuitatis, vnde tanquam à Pythio Apolline populi & principes consiliũ expetant suarum rerum incerti, quos tu ope tua ex incertis certos, cõpotésq; consilij dimittas, vt ne res temerè tractent turbidas? hoc ne magis è re ciuium quàm si grandia tu velles morituri verba Catonis discere? ab insano multum laudanda magistro. Hac ne ex re laudẽ maiorem meliorẽq; consequêris, quàm si consiliũ dederis Syllæ priuatus ut altũ dormiat? Hortor igitur, & idem enixè precor per communes mihi vobiscũ musas, per celebrẽ hanc vrbem, quam artiũ artificem omnes mirãtur & meritò amant, per in-

*risprudentiam, qua nihil vobis eßse debet antiquius. deficientes à pedisequis iuris, ad dominã aspirate: cuius connubiũ tantæ voluptati, tantæ vtilitati, tanto honori futurum est, vt ne deæ quidem omnes vos perinde beare poßint. hæc etenim dat quodcunque regni est, hæc sceptra Iouemq; conciliat, faciens epulis accumbere diuum. ob quam rem sic in pretio & apud veteres fuit, & nostris adhuc est tẽporibus, vt qui hac potiantur, hi soli sapiant, reliqui velut vmbra vagentur. Nam ignarũ esse legum, hæsitantem in maiorum institutis, rudem in iure ciuili, hominis est stupidi, qui nec esse nec videri velit: qui sic currit vt nil comprehẽdat, qui paßim sequitur coruos testaq; lutoq;, securus quò pes cadat, atq; ex tempore viuit, qui cũ plebe cõtemptibilis esse mauult, quàm ad fastigiũ peruenire, quo dignitas senatoria comparatur, itaque omni studio tantisper contendite, dum illam sitis assequuti, vt & Reip. commodo, & parentum iucunditati, & vestræ solidæ laudi, futuræque opulentiæ consulatis.*

*DIXI.*

Deo gloria & gratia.

# Leodegarii à Quercu PRAEFATIO IN Regulas iuris ciuilis quas Lutetiæ professus est.



*Lurima ſunt, viri auditores, quæ bene & ſapienter olim reſpondiſſe fertur Socrates, vix tamen quidquã ſapientius quàm quod ex eo quærebatur, cur adminiſtrandæ Reip. rationem cùm præter cæteros optimè noſſet, magiſtratum non gereret? Reſpondit, vtiliorem eſſe eum ciuitati, qui multos efficeret gubernandæ Reipub. idoneos, quàm qui ipſe gubernaret. At idem ab alio rogatus, quid eſſet perquàm difficile? docere (inquit) artem ſine qua Rempub. nemo debet capeſſere. Huius ego philoſophi vocem vtranque mecum cogitans, non ſatis video vtrum altera me magis ad ius interpretandum vocet, an altera magis ab eo labore retrahat. Nam ſi iuris ſapientia non modo eos ornat penes quos eſt, ſed vniuerſam Rẽpub. pulchrũ eſt eã docere, quàm diſcere glorio,*

*ſum. Sin ea tradi non poteſt niſi ab illis qui & conſilio, & prudentia, & memoria, & ingenio, & doctrina, & cauſarum peritia, & moris cognitione, & rerum vſu, & legum ſcientia valeant, intelligo me in re difficili, atque adeò omnium difficillima verſari. Nam ad alias artes diſcendas veniunt imperiti: & qui illas docent, licet mediocriter elaborarint, tamē cum attentione & beneuolentia à ſuis audiuntur. Ad iuris verò ſapientiam qui tyrones accedunt, eſſe ſolent & debent in aliis diſciplinis veterani, cùm ius ſine diſciplinarum orbe non teneatur: & qui ius audent profiteri, niſi tam bene norint quàm nomen ſuum, non minori tædio & contēptu videmus audiri quàm ſi ſurdi de canticis, aut cæci de coloribus diſputarent. Hanc igitur prouinciam pauci ſuſcipiunt, aut ſuſceptam vix diebus quinque ſuſtinent, quin aut ſuos deſtituant, aut à ſuis deſtituantur. Quid ergo? ego iſta tenuitate ingenij minore quàm corpuſculi par eſſe poſsim huic negotio, cui gygantes ſuccumbunt? Equidem vt hoc mihi nō arrogo, ita confirmare auſim nihil eſſe tā arduum quod labore non aſſequamur. me autem ſi cæteri omnes ingenio & doctrina vincunt, forſan diligentia non ſuperāt.*

Quod enim ingenio non possum, sæpe industria perficio. Hac itaque tanquam Sibylla duce templũ iuris ingredior, de cuius laude quid magnificentius apud vos dicam, quàm quòd in causa Cecinnæ Tullius? Ius ciuile (inquit) contemnendum qui putat, is vincula reuellit non modo iudiciorum, sed etiam vtilitatis, vitæq; communis. Qui autẽ interpretes iuris vituperat, si imperitos iuris esse dicit, de hominibus, non de iure ciuili detrahit. Sin peritis non putat obtemperandum, non modò homines lædit, sed leges ac iura labefactat. quod vobis venire in mentem profectò necesse est. Nihil enim in ciuitate tam diligenter, quàm ius ciuile retinendum. Etenim hoc sublato nihil est quare exploratum cuiquã poßit esse quid suum, aut quid alienum sit, nihil est quod æquabile inter omnes, atque vnum omnibus esse poßit. Mihi credite, maior hæreditas venit vnicuique à iure & legibus, quàm ab iis à quibus bona relicta sunt. Nam vt perueniat ad me fundus testamento alicuius fieri potest, vt retineam quod meum factum sit, sine iure ciuili non potest. Hanc igitur iuris vtilitatem cùm Cicero iam à primo ætatis tempore vidisset, ventitabat ad Scæuolam, vt præceptis iuris for-

maretur: adultus verò nunquam se ita ad dicendum dedit, vt ius ciuile contemneret: sed & Trebatij & aliorum iurisconsultorum ineundam amicitiam ea de causa putauit, quòd ex rhetorum officinis non satis instructus ad forenses causas sine iuris ope venisset. Ac ne putetis vnicum Ciceronem iuris fuisse studiosum, replicate temporum memoriam quàm potestis longissimam, nullus eruditorum reperietur ignarus iuris: Quid enim memorem P. Sempronium? Quid Attilium? qui à iure sunt appellati sapientes? Quid Scipionem, cui publico sumptu domus in sacra via ædificata est, vt facilius consuli posset? Quid Tuberonem Panætij auditorem, qui ob iuris artem consulatu donatus est? Quid Antistium Labeonem, qui oblatam ab Augusto eandē dignitatē recusauit? Quid Aelium Sextū, quem Ennius vocat catum & egregiè cordatū? Quid Crassū & Scæuolam, quorū alter appellatus est eloquentiū iurisperitissimus, alter iurisperitorū eloquentissimus? Quid Seruium Sulpitiū, cui populus Romanus pro rostris statuam posuit? Quid innumeros quos & audire vos tæderet, & referre me pigeret? Verùm enimuero non est mirum homines claros in præclara & nobili discipli-

*na studium posuisse, si superi, iuris se authores haberi pulchrum putarint: qui ne soli re mortalibus necessaria fruerentur, participes nos huius esse voluerũt. Nã & Saturnus Charondæ ius dono dedit, Iupiter Minoi, Phœbus Lycurgo, Minerua Soloni, Mercurius Trismegisto, Vesta Zalmoxi, Oromasis Zoroasti, Ægeria Numæ. Hoc igitur deorũ munus quis non veneretur? quis non adoret? quis non secum perferat, & memori semper sub pectore seruet? vel ob eorum gratam recordationem à quibus accepimus, vel ob commoda quæ inde manant? Quid enim regibus largitur diadema? principibus authoritatẽ? magistratibus fasces? iudicibus gladium? dominis in seruos potestatem? seruis libertatem? supplicibus opem? calamitosis salutem? denique quid omnibus omnia? Ius ciuile. Itaque in hominibus nulla gens est tam immansueta, aut fera, quæ iuri nõ obtemperet. At (dixeris) Populus Romanus annis ab vrbe condita trecentis sine iure & legibus vixit: imò verò Romuleis & Curiatis tantisper est vsus, dum ius decemuirale ab externis peteretur. Cur tam serò? quòd assiduis flagraret bellis, quorum strepitus non permisisset audiri vocem legum: illis autem compositis, pri-*

*ma res curæ fuit, ut legibus Respublica fundaretur, ita quidem sanctis, ut nostra adhuc memoria passim omnes utantur, nondum inuentis melioribus. Sæpe Reipublicæ facies immutata est, sæpe uiuendi ratio, sæpe loquendi modus, nunquam tamen tot seculis ius potuit immutari: ut cùm uicissitudo omnibus in rebus sit iucundissima, in iure non placuerit. Oportet enim ius esse semper idem, cùm sit oraculum ueritatis, regula negociorum, amussis uitæ, perpendiculum morum: quo qui caret, fateatur necesse est deesse unum sibi, quo & pecunia comparari, & comparata seruari, & iucundè ætas traduci, & mores componi, & animus acui, & eruditio perfici, & magistratus haberi, & Respublica gubernari possit. Quæ quum ita sint, existimaui fore è re studiosorum, si lætis auguriis Regulas, & apophthegmata iuris auspicarer, in quibus uelut opulentis thesauris omnes legum diuitiæ continentur. Ut autem absconditarum rerum demonstratis & notatis locis, facilis est inuentio: sic quum peruestigare ius uoletis, erit ad hos iuris locos & capsulas ueniendum. Illic strictim latent omnia, quæ latè per Pandectas diffunduntur.*

*Quarum diligentes architecti cùm viderent Hippocratem medicorum principem breuibus aphorismis comprehendisse vniuersam medendi rationem, de qua plurimis libris disputarat, eius exemplo, quinquaginta libros Pandectarum in nostros iuris aphorismos coniecerunt, vt citò dicta percipiant animi faciles, teneántque fideles: vtque sit paratum locorum communium promptuarium, quod & vna manu teneatur, & vna hora perlegatur. Itaque si mathematici bene de nobis sunt meriti, quum totum orbem, atque etiam orbis vrbes breui tabula oculis subiecerunt, magna gratia Iuriscõsultis habenda est, qui ius vniuersum tam pusillo fasce colligarunt. Cæterùm ne quis arbitretur parum honoris habitum Regulis iuris, quòd in vltimum titulum sint reiectæ, intelligat esse ideo factum quòd ex antescriptis sententiis sint excerptæ, vt sint iuris bellaria. Quemadmodum enim structores secundis mẽsis adponunt tragemata, sic iurisconsultis visum est asseruari oportere nouissimo ferculo, tanquam pemmata, Iuris regulas: quas ita ad palatum facturas spero, vt nihil vnquam maiori fructu & voluptate vobis gustatum iudicetis. Peto igitur à vobis & vestra causa vos*

*oro, vt ad iſtas ſcriblitas ita auidos vos præbeatis, vt nihil relinquatur analectorū. quantò enim maior fuerit ingurgitatio, tantò minor capitis grauedo aut ventriculi cruditas ſentietur. In reliquo, ad meas partes quod attinet, dabo operam, vt ſi fauendo adfueritis, vobis quoque conſulendo non videar defuiſſe.*

*DIXI,*

Deo gloria & gratia.

# Oratio habita Ca-

DVRCI PER LEODE-
*garium à Quercu, cùm publicè de iure esset responsurus, pridie quàm gratuito Doctoratu donaretur.*



*I iusta olim de causa (peritissimi iuris antistites, et vos commilitones optatissimi) laudatus est fecisse sapienter Hercules, quòd nunquam cum duobus cōgrederetur, potero videri parum consideratus, vt qui Hercules non sim, audeam cum tot fortissimis, atq; exercitatissimis athletis in arenā descendere. Veruntamen si meū cum illo Herculis factum comparetis, dissimilem vtriusque rationē comperietis. Herculi enim cum feris, monstris, & portentis certamen fuit, mihi res futura est cum hominibus mansuetissimis, doctissimisque: Herculi coram nouerca Iunone, coram infestissimo rege Euristeo, coram immanissima barbarie confligendum, mihi co*

ram serenißimis proceribus, coram optatißima Scæuolarum corona, coram iucundißimo studiosorum conspectu: Herculi corporis viribus, mihi ingenij acumine contendendum. Ille aleam vitæ, ego doctrinæ periculum sum subiturus: Ille non poterat sine discrimine superari, ego verò in hac legali palæstra, si superer, fiet id etiam meo commodo. Nempe quod victo fuerit ignoratum, per victores docebitur, quod subobscurum, per eosdem illustrabitur. Quocirca cum vtilitate tanta vinci, quodammodo vincere est. Vnde non satis sapienter factũ videtur à Pliniano sophista, qui quũ obiectiunculæ solutionem non attulisset, attulit manus sibi, velut Homerum fecisse memorant Piscatorum ænigmate non soluto. Sed neutrius furorem tanti sum æstimaturus, quanti consilium sapientis Socratis, qui quum tot disciplinis, quibus erat instructißimus, musicem quasi colophonem addere vellet, non erubuit ab ancilla doceri. Quin & Theophrastus à Leontio vetula refutatus, erudiri putauit frugiferum. Quod igitur facundo Theophrasto ad frugem pertinuit, mihi esse potest detrimento? Aut quod Socrates in arte proculcata sectatus est,

*cur in disciplina reconditißima non sit mihi iucundè ferendum? quũ præsertim nec ab ancilla nec à vetula, sed à vobis vndecunque doctißimis profecturum sit disceptationis emolumentum? Sanè quidem vt Patroclo longè Honoratius fuit ab inuicto Hectore vinci, quàm si Patroclus sexcentos vicisset Pumiliones, ita quoque si mihi vt Patroclo vinci contingat à vobis legum Hectoribus, vestris cultris occũbere pulchrius iudicabo, quàm de Pygmeis omnibus triumphare. Porrò autem si à quibusdam murmuratum iri videam, quòd velut alter Icarus petam nimium sublimia (nihil enim tam sublime quàm de Iure respondere) ac cauendum à præcipitio, responsum hoc à me ferent, torridum & æstiuum solem facilè ceratas alas Icari liquefecisse: Istos autem meos soles, vernos esse, & temperatos. Deinde sic statuo, neminem vnquam conspicuum & sublimem futurũ, nisi in sublimibus, & inter sublimes. Si enim heroës illi quibus egregij conatus aditum in cœlum parauerunt, nihil essent ausi, nihil quoque laudis essent consequuti. Audendum est (inquit poëta) timidi nunquã statuere trophæum. Si nobis patria sublimis, cœlum: sublimis pater, Deus: sublimis animus in*

*ſublimi capite: ſublimis inceſſus, ſublimis ſtatus, ſublimis non prona corporis conformatio: quis non intelligat eſſe nos ad ſublimia progenitos? In myricis verſetur ſi quis volet, nihil obſtiterim, ſed humiles myricas ſuis opilionibus non inuidebo. Quin potius vel cum periculo experiar, quàm ſit hoc verum*

*Vt deſint vires, tamen eſt laudata volũtas,*
*In rebus magnis & voluiſſe ſat eſt.*

*Neque me tam debilitabit iſtius loci amplitudo, vbi tot Labeones, tot Pomponij, tot Vlpiani, tot denique maiorum gentium Iuriſconſulti ſplenduerunt, quàm animum meum inflammabit ſpes lucis conſequendæ: Vt enim à ſole lumen luna mutuatur, ſic in hoc fulgentiſſimo ſuggeſtu mutuaturum me confido aliquantum eius fulgoris quem quotidiani legum ſoles, hoc eſt, ſplendidiſſimi profeſſores huc important. Confido inſuper fore vt eorum radiis non modò meæ glandes matureſcant, ſed eſſe vim & naturam loci huius tam efficacem præſtare vt poſſit,*

*Vt duræ quercus deſudent roſcida mella.*

*Si enim insulæ pusillæ Deli, halitus terrenus tantum momenti habuit, vt illo incitatus Apollo ederet oracula: Si Dodonea sylua lebetibus Iouis vim diuinatricem aspirauit, quid hic sacratißimus locus, gratißimusque Ioui, Apollini, Palladi, Musis, Charitibus, Nymphis, diis omnibus, & semideis, quid inquam, eruditionis & doctrinæ non afflabit? Mutare potest (si non mentitur Plinius) Polypo pisci colorem locus: Potest & mutare Chamæleonti, vt reddere colorem quemcunque vterque attigerit, queat, & mihi suggestus iste quem tot eximij Protogenes doctrinis eleganter pinxerunt nihil dabit minij? nihil lomenti? nihil purpurissi? Dabit profectò, dabit: efficietque, vt quem in modum gratiores sunt amatoribus puellæ cerusatæ, sic ego disputaturis paulò magis commendatus. Quanquam in hisce rebus non futurum auxilij tantundem, quantum in cœlesti illo influxu, quo Mercurius, & literarũ præsides Musæ suis Cadurcensibus aspirant. Nihil enim apud Cadurcum reperias, quod vim terrenam redoleat. Omnia cœlum spirant, omnia Mercurium, omnia Mineruam, omnia musas, omnia Apollinem, omnia Charites. Vt non sit absimile veri fluuiolum Cadurcensis ciuitatis,*

*fontem esse Pegaseium. Eiusdem verò geminos montes, Parnassum bicipitem, vbi nō amplius poësis (quod Ennio, Hesiodoq; contigerat) sed legum peritia hauriatur. Ac meo quidem iudicio, vt olim ille Aeneas nulli pietate secundus Ilium in Italiam vexit sacrosque penates, sic Pallas à Græcia in Cadurcensem Academiam suas Athenas asportauit. Hîc illius arma, hîc currus pleni legum, plenique sophiæ. Itaque nō mihi, sed maiestati huius planè Palladij loci ascribi vellem, si quid à me diceretur dignū hac frequentia, hoc silentio, hac attentione & expectatione vestra. Neque equidem maior cur huc prodierim, fiducia fuit, q̄ quòd sum suspicatus fore, vt sacer hic locus immunitatē inuidiæ sit præstatur⁹, extra enī prophani meient, nec suis sicophantiis quasi fœdis oletis locum conspurcare audebunt, dignitate loci terrebūtur. Quanquā in hoc sacratissimarum legum vmbraculo diutius nō possint viuere maleuoli, quàm sub vmbra fraxinorū serpētes, Rariusque apud Cadurcēses inuidus reperiatur, quàm apud Britannos lupus. Quod quum passim audissem prædicari, tenuit me ingēs desideriū videndæ huius academiæ, quæ vt origine antiquissima, ita legū gloria facilè prima putatur.*

*Cùm autem in dies expectaretur visendi occasio, tandem anno superiore oblata est, quum pestifer Altanus Tolosa nos abegit: Huc igitur quum appulissem, & omnia hominum prædicatione maiora, melioráque comperissem, dici non potest quàm sim impẽsè delectatus, vt qui nactus sim professores tam absolutos, proceres tam illustres, condiscipulos tam studiosos, ciues tam compositos, populares tam humanos, colonos tam industrios, aërem tam limpidum, musæa studiis tam apta, vt in elysiorum camporũ amœnitate versari me putarẽ. Itaque animus erat non antè hinc discedere quàm metas legalis stadij contigissem. Eaque causa initium currendi sumpseram à Pandectarum lib. primo, quem ego publicè professus ad vmbilicum quidem perduxi, sed maiore auditorum erga me beneuolentia, quàm mea in illos fruge. Accurrebant enim non tã adipiscendæ doctrinæ gratia (quæ in me est perquàm pusilla) quàm vt docenti essent ornamento. Horum igitur humanitate fretus, & doctissimi viri Lodoici à Petrucia libris adiutus, accingebar ad reliquorum interpretationem: Sed, ô spes hominum vanas, & fallacia vota, reuocauit me ab instituto qui reuocandi solus habebat potestatem. Cuius ego*

mandati vocem vt audiui, tũ audire sum visus, abi in malam crucem & suspende te. Si enim durum est à doctissimorum societate auocari. si acerbum est amicorum iucunda consuetudine priuari, quantam animo meo ægritudinem comparauit reuocatio, cùm neque doctiores, neque amiciores vsquam repererim? cùm hîc labori præmium, virtuti gloriam, literis triumphum decerni senserim? cùm hîc laureã doctoralem gratuito iure sim assequutus quam apud alios pecunia comparari oportebat? Maior tamen ægritudo futura fuit, si animus cum corpore potuisset reuocari, sed absente corpore præsens animus apud vos semper fuit, semperque futurus est. Itaque velut piscis mutus, vel mortuus potius (quoniam exanimis) extra Cadurcum fui, reuersus verò, viuus, valens, vigens, mihi meísque videor restitutus, ita quidẽ integrè, vt quibus olim viribus leges sum professus, hisdem hodierno die de iure respondere non dubitem. Quod vt melioribus fiat auspiciis obsecro vos in maiorem modum illustrissimi proceres, quorum integritas singularis, nomen amplissimum, maiestas veneranda, & uos commilitones optatissimi, quorum incomparabilis eruditio, studium indefessum, huma-

*nitas supra humanum morem. Adeste huc omnes, non animis modò, sed & oculis, & fronte, & vultu, vt respondentis iuuenis industriam. Et illud ipsum facite eò alacriores, quò huius honoris (si quis futurus est) aut ignominiæ (quam maximam metuo) partem mecum vestra ciuitas sit adeptura.*


*DIXI,*

Deo gloria & gratia.

# Oratio extemporalis

*AD PASTORES, Habita Lutetiæ Parisiorum anno D. M. XLIII. Per Leodegarium à Quercu.*

*Qualis est Imperator ciuitatis, tales qui habitant in ea.* Ecclesiastici 10. *cap.*



*Atis mihi conscius sũ (Imperatores Ecclesiasti.) nõ defuturos qui arbitrentur impudenter à me factum, vt cum ferentarij partes nondum explere queam, tamen de Imperatoris Ecclesiastici munere cõfidenter disputem apud Ecclesiasticos Scipiones. Neque dubitabunt facere me similem illius Phormionis, qui aliquandiu apud Annibalem, virum vt bello deditum, ita præter cæteros exercitatum, consultauit ineptius de militari stratagemate, & Imperatoris officio, cùm neque castra vnquam esset ingressus, neque peltatos conspexisset in acie milites, neque hastatos cornibus equites, neque post prin-*

*cipia ſcutatos triarios. Cuius ego turpitudinis culpam tum facilius deprecabor, cùm intelligetis nō eo animo huc impulſum, vt rudis cùm ſim, erudire doctos coner, quaſi delphinos natare docens: ſed vt veſtram vobis ampliſsimam dignitatem primùm gratuler: Deinde vt veſtri officij memoriam (qua nihil eſſe debet iucundius) breuiſsimè refricem. Quo in negotio non eſt, vt à me quicquam rerum nouarū, tanquam ab Aphrica repoſcatis: ſed quæ dudum vobis ſunt cognitiſsima, mecum recognoſcatis. Quanquam verò quis ſuccenſeat agenti mihi patruum, ſi interdum olitor valde opportuna loquatur? Aut qui vlceribus ſcatet, cur non ſit aliorum medicus? Si fortuna quæ cæca eſt, & nuda aliis proſpiciat, & opes paret? quaſi Phariſæi non docuerint quæ recta eſſent, alieniſsimi tamē à rectitudine. Neque ſanè opinor vſque eo vos delicatos, vt ſuauia quàm ſalubria dici malitis. tum enim vel veſtræ locum darem mollitiei, vel Demoſthenis adulationē (quam Phocion ſuggillauit) imitarer. Sed cùm nihil magis ad canes pertineat, quàm adulari, nihil minus ad homines quàm mordere: dabo operam, quantum in me ſitum erit, vt cùm homo apud homines præſertim cādidos agam, ni-*

nihil fecisse videar alienum ab humanitate. Quod dum studiosè molior, adeste quæso, æquanimes, & facite audiendo, vt vestra beneuolētia nostram iuuet industriam. Cæterùm vt de Ecclesiastico hocce imperio felicius dici queat, Imperatricem Ecclesiæ Mariam solito elogio salutemus, vt opem spiritus diuini nobis in re diuinißima dignetur implorare.

## QVALIS EST IMPERATOR ciuitatis, tales qui habitant in ea, &c.

Imperatoris Ecclesiastici similitudo cū bellicoso (viri fortißimi) facit, vt effigiem bellicosi subiiciam, vnde Ecclesiastici lineamenta deducantur. Vtriusque enim similis ratio, similis virtus, simile nomen, simile officiū, & quidem longè omnium operosißimum. Non enim omnino constat, quidnā difficilius, aut maius excogitetur, quàm Imperatoris personam cum decoro sustinere: propterea quòd oporteat Imperatorem non modò præstantem viribus, illustrem authoritate, fortuna beatum, sed consilio, prudentia, industria, cæteris antestare: siquidem penes eum totius publici status cardo ver

ſatur, atque quantum firmitudinis columna addit ſtructuræ,ne vitium faciat, tantundem Imperator ne Reſpublica collabatur. Soloque vel exẽplo vel hortatu plus promouet, quàm maxima cohors maximo conatu. vt facilè aſtipuler dicenti Chabriæ, Formidabiliorem exercitum ceruorum duce leone, quàm leonũ duce ceruo. Cæterùm quiſquis vel apud barbaros populos, vel apud vrbes liberalius inſtitutas probè imperauit, diu anteà imperio paruit. Nã & Epaminundas vix exceſſerat ex ephebis, cùm iam verſaretur in exercitu, in caſtris, in oppidorum oppugnationibus, in inſidiis faciendis & vitandis. Itaque ſi illi ad artis præſtantiam contulit tyronem prius fieri quàm Imperatorẽ, & imperium prius pati quàm gerere, multò contulit magis quòd etiam didicerat prius animi motibus, quàm militibus imperare, & eſſe ſui ducem, quàm aliorum: quando improbè in alios regimen ſuſcipit, qui ſeipſum regere neſcit. aut exempla probitatis & vigilantiæ aliis de ſe dare. Nam quid ducem magis dedecet, quàm totam ſomno noctem producere? aut, quid magis ex officio, quàm aliis dormientibus excubias actitare? & voluere animo quæ ciuibus ex vſu ſint? aut cùm procul à pericu-

*lo sunt omnia, philosophari? si authore Platone felix est Respublica, cùm Imperator philosophatur, vel philosophus imperat prodigus animæ? hic etenim non dubitabit pro suis exẽplo Codri, & Deciorum se deuouere, & corporis obiectu velut Cocles aduẽtum hostium intercludere: existimans & ad patriæ salutem, & ad nominis gloriam pertinere, in armis mori. Atque vtinam (Imperatores Ecclesiastici) omnibus vobis eadem insit fortitudo, quæ à me prædicata est in Epaminunda: & tanto quidẽ præstãtior, quãto meliori exercitui præpositos vos videtis. Ille laniis ad sanguinẽ cõductis erat præfectus, vos principibus ad doctrinã. Ille barbarißimis dominabatur, vos verò Christianißimis. Ille Plutoni aĩas mactabat, vos Christo animas lucrifacitis. ille iure belli, nescio an nefario, imperij fines amplificabat, vos cœlestẽ Hierusalem verbo Domini propagatis: ille vt quãplurimos morti daret, cõtẽdebat, vos vt à morte ad vitã etiã hostes traducatis: ille suos corruptibili cõmeatu saturabat, vos pane angelorũ reficitis: ille paludamẽto insignis erat, vos sacerdotali diademate, & suppаro puritatis. Sed veluti ridicula est simia in purpura, sic ineruditus si eruditi gestet insignia. vnde sa-*

*pienter vobis videndum, ne tantũ honoris fru stra percepisse videamini. Ne quemadmodum Atticus ille Herodes palliato respondit, Video pallium, video barbam, philosophum non video: Ita ne de vobis merito dici queat, Quadratum pileum video, talarem vestẽ video, supparum video, sacerdotem non video. Illud etenim nõ minus foret iaculare, quàm quod à vulpecula ingressa domum statuarij dictum olim de statuis, O lepida capita, sed cerebrũ non habent. Nanq; homini longè honestius est honore nullo decorari, quàm cùm in honore sit non intelligere, & cõparari iumentis insipientibus. Vos ergo terræ iudices erudimini, quum iudicatis terram, ac ne iudicemini indigni vestro nomine, sacra docete. Nã si sacerdos est, qui sacra docet, profectò qui doceri, quàm docere aptior est, eadẽ figura nomen habere putatur sacerdotis; qua mons à mouendo quòd minime moueatur. Aut si is verè est presbyter senior, qui præbet bonum iter, nemo vestrũ iuueniliter in popinis, nemo in lustris pergræcetur. Tot enim mortibus digni presbyteri, quot iniquitatis exẽpla transmittunt in proximum. Vnde perniciosius de Republica Christiana merentur pastores vitiosi, quòd non solùm vitia concipiunt*

*ipsi, sed ea infundunt in ciuitatē: neque solùm obsunt, quòd illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plúsque exemplo, quàm peccato nocent. Neque enim tantum est mali peccare pastores (quanquam est magnum hoc per se malum) quantum illud, quòd permulti etiā imitatores pastorum existunt. Nā licet videre, si voles replicare memoriam temporum, qualescunque summi ciuitatis viri fuerint, talem ciuitatem fuisse: quæcunque mutatio morum in primoribus extiterit, eandem in populo sequutam. Idque haud paulò est verius, quàm quod Platoni nostro placet, qui musicorum cantibus ait mutatis, mutari ciuitatū status. Ego autem pastorum vita victúque mutato, mores subditorum mutari puto. Itaque pastores sapientius vitam instituunt, qui sese præstare student, tanto perfectiores hominibus, quanto homines brutis antecellunt, vt villicationis suæ rationem cum prouentu ita reddant, vt talenta multa superlucrentur, vt Spartā quam nacti sunt, ita sanctè adornent, vt nihil auarè, nihil cupidè, nihil fraudulenter geratur: vt commodorum suorum obliti, putent se procuratores statutos. At velut tutela, sic procuratio publica ad eorum qui commißi sunt, non ad eorū*

*quibus commissa est, gerenda est. Gregem ergo pascant, non seipsos: & in vinea Domini sint assidui, non in præsepio desides. Quòd si vel in vinea vulpes, vel in grege lupus incommodi aliquid intulerit, damnum præstabunt, qui curam susceperant: quanto acerbiores pœnas luent, qui in gregem suum lupi, in vineam vulpes fuerint? Anthropophagos Scythas legimus ea feritate, vt hoı̃m vescerẽtur carnibus, sed duntaxat aduenarum. Diomedẽ pauisse equos hospitibus, sed pepercisse domesticis. quãto crudeliores pastores, si in suum gregem sint Polyphemi? Si pro custodibus insidiatores, pro piscatoribus peccatores, pro sacrificis sacrilegi, pro patribus parricidæ? Equidem cùm filios more Saturni vorauerint, cum Saturno quoq; apud Plutonem catenis alligabuntur, ibiq; cum planctu frustra querentur, non fuisse mansuetos, hospitales, continentes: sed impios, impudicos, vinolentos, mercenarios, proditores, sanguinarios. Quibus quàm ignominiosum futurum est, cũ viã vitæ, & virtutis intellexerint, vinci tamen omni virtutum genere ab Ethnicis, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. Nempe apud Atticam sacerdotes priscis ignorantiæ temporibus anachoretæ omnes fuerunt, in*

*frigore, in nuditate, in siti, in esurie: summè frugales: nunc fortè pro vmbratili vita, fastus: pro frugalitate, epicurismus placet. Apud Latium sacrificis sic interdicebatur vino, in quo est luxuria, vt eis esset capitale, quorum anhelitus vinum redoluisset: nunc pulchrum putatur esse Heliogabalos, & similes Consentinis, quibus plus sapuit palatum quàm cerebrum. Apud Idam Corybantes nunquam prius mysteriis Cybeles initiabantur, quàm execuissent sibi cultris virilia: nunc nihil tam peculiare, quàm Venus: vt cùm libido & gula sint pecudum, superbia dæmonum, ex his tamen monstris cōflatæ sunt chimeræ quædam, quibus eadem metamorphosis metuenda venit, quæ Vlysseis remigibus, ne post beluinas voluptates in beluas transformentur, non ab illa venefica Circe, cuius magico carmine Gryllus factus est porcus, sed ab omnipotente Deo, qui regem Nabuchodonosor in beluam commutauit. Cuius exemplo terreantur asoti, vt resipiscant: videantque quantum inter beluam & hominem intersit. Beluam natura creauit, pronam atque obedientem ventri: hominem Deus erexit, quoniam eius conuersatio in cœlis est. Belua rationis & orationis expers*

*nata est, homo consilij & prudentiæ plenus. Belua, ad deformem figuram, homo, ad dei imaginem & similitudinem. Belua ad famulatũ, homo ad dominium. Belua ad inertiam, homo ad artes legendas & intelligendas, quasi mortalis quidem deus. Porrò licet honorificentius multò de nobis meritus sit deus, quàm de beluis, fit plerunque vt minus feritatis habeat fera, quàm homo. Quod quàm absurdum sit, dispudet memorare, præsertim cùm vt herba causa pecudis, pecus causa hominis: sic homo causa hominum existimetur genitus. Quotus tamen quisque eorum qui viuunt hodie, non est viuẽti lupus? mortuo vultur? Hæccine est formula dilectionis in proximum, quam nobis præscripsit Christus? hoccine exẽplum charitatis, vt alter alterius onera portet? Vbi zelus ille ignitus Apostole Paule, quem desideras in pastoribus? quos si iubes esse fideles dispensatores, cur quæ pauperum sunt, ganeis largiuntur? quasi non sit furtum, rapina, sacrilegium, quicquid præter victum & vestitum desumpserint? Si vnius vxoris viros esse commonefacis Paule, cur tot illis sacerdotia maritantur? an quòd hirundinum more, non mittent cutem, nisi cruore distendantur? num tu iniucundè videas*

*nauim ecclesiasticam esse factam Argo, vt ad vellus aureum ferat Iasones? quos vtinam nescio quis Typhis in Colchon traiiciat, vt probiores sufficiantur, qui à grege vix vsquam absint. Vt enim oculus domini optimè pascit equum, sic pastoris præsentia maximè saginat gregem, & à morbis tuetur. Dum scabie laborat ouis, pastor bonus miscet amurcam cum lupino: dum intertrigo vngulæ adnascitur, pice liquida sanat: dum sacer ignis vrit, lacte caprino placat: dum agni mentigine torquentur, hyssopum & salem terit æquis ponderibus: neque vnquam committit, vt vel inamœno pabulo, vel insuaui poculo, vel insalubri cœlo lædatur ouis: quin statim aquationem, & locum mutet: sollicitus etiam vt à frigore in apricationem, ab æstu in vmbraculum ducat. Quòd si tantùm industriæ, causa brutorum adhibet pastor bonus, quantò plus impēdere debent hominibus pastores hominū? quos nisi tenerrimè dilexisset Christus, nunquam de throno maiestatis suæ in hanc vallem miseriæ fuerat descensurus, vt humanam scabiem suo sanguine ablueret, vt infirmitatem sua virtute roboraret, vt mortem moriendo destrueret, vt vitā resurgendo repararet. Quos igitur amauit Do-*

*minus, ministri contemnent? quos redemit, aspernabuntur? Meminerint tandem partium suarum, meminerint aliquanto prudentius oportere satagi Christianarum ouium: quas cùm Dominus Petro commissurus esset, ter interrogauit,* Petre, *amas me? cui Petrus, Etiam domine, tu scis quia amo te plus his. Tunc Dominus ad Petrum, Pasce oues meas. Quod nisi Dominus effusissimum amorem Petri perspexisset, nunquam eum ouili suo præficiendum curauisset. Atq; vtinam vel plures haberemus Petros, vel pauciores oues quæ Petro carere nequeant, ob tempora inimica virtuti. Aut qui Petri vices gerunt, imitentur eius humilitatẽ, sanctimoniam, vigilantiam. Cui cùm innotuisset absente paulisper Mose populum adorasse vitulum conflatilem, & ad idololatriam deuiasse, existimauit ne vel latum quidẽ vnguem sibi à grege Dominico recedendum. Quòd si idem à nostris factum esset Petri vicariis, non ita ab aquilone profecta lues gregem Domini contaminasset: non ita frequentes vulpeculæ vineam supremi patrisfamilias dissipauissent, non ita denique fides cum populo in præcipitium rueret. Vnde experimur magno incommodo, quàm sit verum il-*

*lud Oseæ quinto, Laqueus ruinæ populi mei, sacerdotes iniqui. Qui si nec sibi nec aliis prosunt, cur præsunt? Si Charibdes et Scyllas vitare nequeunt, imò in eas impingũt, cur se nauicularios præstãt? Si superna alexipharmaca turpiter ignorãt, cur animarũ medicos agunt? Nõ ex quouis ligno olim fingebatur Mercurius, nunc ex quouis stipite dedolantur mystagogi: vt cõtemptissimũ sit illud Pauli ad Hebræos, Nemo assumat sibi honorẽ, sed qui à* Deo *vocatur tanquam Aaron. Cæterùm quoniã huic nostræ adhortatiunculæ tandem finis statuendus est, libens rogauerim malos pastores, qui potius inuigilant vanitati, quàm virtuti, & pecuniæ quàm pecori, vt libidine repudiata, vxori Ecclesiæ adhæreant, quæ pulchra est & decora: vt calcato dæmonum fastu Christum æmulentur. qui se nimisquam humiliauit, formam serui accipiens: vt infirmitatis suæ conscij, curam ouium melioribus relinquãt, ne pluris fiat apud eos ouiũ vellus, quàm animarũ salus. Vos verò lõgè horũ dissimiles pastores, oro & obtestor, vt luceat lux vestra corã hoĩbus, vt exẽplũ sitis fideliũ, in integritate, in grauitate, in castitate, in charitate, in uerbo, in opere: nec abscõdatis talentum Domini,*

*ſed profectus veſter ſit omnibus manifeſtus. Attendite doctrinæ & inſtate, vt probetur veſtrum miniſterium ſummo illi ſacerdoti ſecundum ordinem Melchiſedech: qui cum vos inuenerit ſic vigilantes, ſuper omnia ſua vos conſtituet, & in gaudium iubebit introire.*

*DIXI,*

Deo gloria & gratia.

# De negligendis interpretibus iuris,

Dialogus Academicus, Authore Leodegario à Quercu.

IDEM, AMPLISSIMO VIRO D. Io. Mansencallo, præsidi primo apud Tolosates S. D.

*Iucunda omnibus est vicißitudo,*
*Præsertim grauibus viris, vt acto*
*In sudore negotio, quiescant:*
*Id quod Scipio factitabat olim,*
*Quando in littore calculos legebat,*
*Vel paruas cochleas, vel vmbilicos.*
*Cum quo Lælius ille qui medulla,*
*Qui flos, qui populi decus, frequenter*
*Ludebat, veluti puer pusillus:*
*Hæc me causa quidem mouet disertè*
*Mansencalle, quia alter æstimaris*
*Nobis Lælius ob tuam sophiam,*
*Alter Scipio publicis regendis*
*Rebus (ni potius tu vtroque maior)*
*Vt nunc ludicra dem tibi faceta:*
*Quæ si tu vice calculorum amanter,*
*Iucundeque legas, tuam leuabis*
*Mentē à publico, & arduo labore.* Vale.

# Loquuntur P. Fontavgerivs, et Leodegarius.

F.


*Vo nunc tandem affectus es animo erga iuris interpretes? L. Sanè vt qui optimo. F. Audiebam visum esse tibi, vt iuri operā daturus interdiceret sibi vsu interpretum. L. Initio rebar: sed alius dies alios mores postulauit. F. Scio consilia esse tēporum, quæ in horas mutantur: sed gratissimum feceris, si (cum vacui simus & soli) paucis repetas quæ te mouebant argumenta. L. In aurem ergo, & hac lege ne euulges. F. Lapidi dixeris. L. Sic ego statuebam, facilius intelligi iuris elegantiam, quàm interpretū barbariem: & minori negotio leges omnes peruolui, quàm vel vnius scholiastæ deliria. F. Videre licet plurimos vtriusque iuris coryphæos, quos Accursii, Baldi, Bartholi, & similiū iuuit labor. L. Credebam futuros fuisse peritiores si caruissent. F. Quibus adducebare causis? L. Exprimere commodè non possum, ni resumā, quàm exui per-*

*ſonam.F.Per me licet,dum contrariã induam. L.Placet hercle:primùm,non probabã quod alius ſiniſtram in partem rapiat legis ſenſum,alius in dexterã,alius ſurſum,alius deorſum, alius ante,alius retro,alius circulariter:vt quoniã tot ſint ſentẽtiæ quot capita, nõ ſatis ſcias, quorũ ſit opinio verior:quũ diuerſarũ plus vnica,vera nõ ſit.F.Nõ inficior,ſed eſt tãta codicis & digeſtorũ profunditas, vt ſine interpretum ſubere nõ ſit ſecura natatio. L. Quid? antequã vlli interpretes ſuis fumis ius obſcuraſſent,primi quibus interpretibus vtebãtur? F. Nullis. L. At legislatoris mentẽ vel intellexerũt, vel nõ intellectã interpretari poſteris neſcierũt:vt autẽ neſcirent,in cauſa fuit doctrinæ cultioris imperitia: Quòd ſi impoliti hoĩes Aemyliũ, Papinianũ, Mutiũ, Scæuolã, Sabinum,Alphenũ,Proculũ,Labeonẽ,Celſum, Põponium,& id genus Apollines legũ intellexerunt,non intelligent facundiſſimi?F.Forſitan: nam ſcire leges nõ eſt verba earum tenere,ſed vim ac poteſtatem.L.Sed ſi verba ignorẽtur, quibus res exprimi ſolent, nullo pacto rerum intellectus haberi poſſunt:niſi fortè Anglũ intelligi putes à Gallo qui neſciat Anglice. F.Labore ſunt aſſequuti,quòd neoterici doctrina: et*

*multis locis lumen attulerunt. L. Quibus non cōpetebat, vt superuacua fuerit lucerna in meridie. F. Equidē in antimoniæ Labyrinthis tam se præstiterunt dædalos, quàm in ænigmaticis edictis œdipodas. L. Quasi verò sint obscura iuris edicta, honestè viuere, alterū nō lædere, suū cuiq; tribuere: aut quasi nomothetæ priscis legem, neotericis crucē fixerint. F. Nequaq̄ istuc, sed oculatiores fuere prisci. L. Posteri verò statuæ? vt oculos habeant nec videant: nares habeant nec odorentur: aures habeant, nec intelligant. F. Vident quidem, sed vt oculi perspiciliis, sic minus prouecti interpretibus adiuuātur. Quandoquidē (vt optimè iudicatū à Iuliano) De iis quæ primo constituuntur, aut interpretatione, aut cōstitutione optimi principis certius statuendū est. Neq; enim leges, neq; Senatuscōsulta ita scribi possunt, vt omnes casus qui quandoq; inciderint, comprehendātur: sed sufficit ea quæ plerunq; accidunt contineri: ego tamen non vltra de doctis altercabor, quoniā sibi posse esse Doctores satis agnosco. L. Quid si in similem modum reuincā plus importari dāni quàm cōmodi tyrunculis, ab interpretibus? F. Eodem fortasse relaberis, cæcos cæcorū malos duces. L. Imò in re noua nouis vtar argu-*

*mentis. F. Libẽs audiam. L. Fateríſne operoſius eſſe plura legere, quàm pauciora? F. Fateor. L. Et animum pluribus occupatum ad ſingula minorem. F. Sanè. L. Quomodo ergo infinitorum interpretum infinitas quiſquilias vacabit legere, ſi legibus vix ſufficimus? aut quomodo ineptorum omnium omnes nugas in animum includemus, ſi legum decumas non licet? F. Difficile: ſed ego ſic ſtatuo vias indicari commodè ab his qui diutius in loco moram traxerunt. L. Commodius ne quàm ab his qui locum condiderunt? F. non arbitror. L. Igitur qui in legibus multos annos verſati ſunt, non habent leges cognitiores quàm qui leges condiderúnt. F. Verum. L. Melius ergo lex per legem, aut legis cõditorem, quàm per interpretem cognoſcitur. F. Progredere. L. Es ne in eadem cum Cicerone ſententia? leges ſcriptas à nõ ſcripta (hoc eſt naturali) ortum habere? F. Sum verò. L. Atqui lex naturalis nobiſcum orta eſt, nobiſcum genita, nec per magiſtros eam accepimus, legimus, didicimus: verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad hanc non docti, ſed facti, nõ inſtituti, ſed imbuti ſumus: vt ſit illud Pauli ad Romanos verum, gentes quæ legem nõ habent naturaliter ea quæ legis ſunt*

faciunt, eæ sibi sunt lex: legisque opus ostendunt scriptum in cordibus suis. Quod insuper à Dauide sic est expressum, signatum est super nos lumē vultus tui domine: his ex verbis quis nō apertè colligat facillimā esse legē naturalē? F. Quid inde? L. Ergo facillimas leges scriptas. F. Nō video. L. Faxim explicatius: scis esse carmen decantatissimum.

Qui viret in folijs venit ex radicibus humor,
Sic patrum in natos abeunt cū semine mores.

F. Scio. L. Hæc eo pertinent vt fatearis adnasci stolones simillimos suis truncis. Et parentibus similes liberos. F. Vultu, voce, voluntate. L. Atqui leges scriptæ, ortæ sunt à naturali nō scripta: eamque sic referunt. vt quanto sint parenti similiores, tanto magis à spuriis & degeneribus differant. Est autem naturalis sine interprete cognita, ergo & filiæ eius leges ciuiles: quid tu ad hoc? F. Imò quid tu ad illud Ciceronis in epistola ad Trebatium, Nullam artem literis sine interprete, & sine aliqua exercitatione percipi posse. Non longè (inquit) abieris, nū ius ciuile vestrum ex libris cognosci potest? qui quanquam plurimi sunt, doctorem tamen, lumenq; desiderant. L. Eleganter, pro suo more: sed in eadē epistola statim sic soluit. Quanquā

*si tu attentè leges, si sæpius, per te omnia consequere vt planè intelligas. F. Iam ego tuæ sententiæ vicinius accederem nisi obstaret consuetudo. L. Quorum? F. Patrū, qui euoluendis legum. L. Nugonibus? F. Imò doctißimis interpretibus plus impenderunt temporis quàm. L. in ipsis legibus. F. Diuinasti. L. Vt aliquando (quas vocant) glossas vice legum citarent? F. Quin adeò vt legibus anteferrent. L. Facere non possum quin cum Lucretio exclamen.*

*O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca:*
*Qualibus in tenebris vitæ: quātísq; periclis,*
*Degitur hoc æui quodcunque est?*

*An non satis erat legum nisi insania scripturientiū nouos proferret litium fomites? per verborū aucupia? syllabarum tendiculas? literarū decipulas? distinctionū meādros? Quæ vt amoliretur omnia Iustinianus, sanxit, nullis licere Iurisperitis in posterum applicare Pandectis cō mentarios: ne per contrarias interpretantium sententias totum ius conturbaretur: Nec aliud quid eis indulsit: præter παρατιτλα: Scriptum est à M. Tullio neque fuiße, neque futurū vnquam omnibus numeris absolutū oratorem, & tamen oratori tria tantū sunt tenēda, docere, delectare, mouere: nos uerò perfecti Iuriscōs. ne*

*vmbram quidem ſperare oportet, ſi præter tot legum myriadas tenendum eſt etiam quid quiſque in iure ſit cornicatus. F. Fac vt ſolers imperator. L. Scilicet? F. Vt ille in militibus, ſic tu in interpretibus delectum. L. Aedepol putarim in iſtiuſmodi gerris delictum, potius quàm delectum fieri: nec ſatis video quo pacto iudicarem quis optimè omnium legem exponat, ſi quid ſibi lex velit ignorem. Eſt hoc non tyronis ſed Imperatoris officium. Imperator autem ſine interprete ſuum obit munus, vel in exercitu, vel in legibus, alioqui nomen non meretur Imperatoris. F. Quid ſi lex imperium hactenus Imperatoribus, ueteranis, tyronibus, nihilo faciliùs potuerit intelligi, quàm lex frater à fratre? lex diuus? lex pacta? niſi acceſſiſſet interpres facundiſſimus? L. Quid ſi ille interpres non ab interprete, ſed à lege legem didicit? Quid ſi & antè didicerunt qui nil ſcripſerunt? Quid ſi poſteri, aut externi (Ad quos fortè non perueniet tam eruditus, tamque laudabilis conatus) legem eandem animi acumine aſſequentur? ego enim mihi perſuadeo nihil eſſe tam difficile, quin improbus labor vincat: eſſe autem & noſtra, & fuiſſe patrum memoria quàm plurimos ſtudioſos. F. Vtinam ſi*

quid est à talibus elucubratum tandem in meas perueniret manus. L. Legeres? F. Accuratissimè. L. Næ tu mihi, legendo tam inexplebilis videris quàm dolium pertusum: relinque obsecro generis huius nænias helluonibus librorum, qui singulis diebus viginti nouē horas vigilant. F. Iocare pro tuo arbitratu, sed nunquā efficies vt trita à patribus via deflectam. L. Senesces in errore priscorum? F. Malim, quàm oculos cornicum cōfigere: excusatissimus enim est error qui cum multis, atque adeò cum maioribus committitur. L. Simili causa satis tectum Iudæum censes ne christianis legibus initietur? Ille cum multis, atque adeò cum maioribus it se perditum. F. Impia Iudæi est peruicacia, mea laudabilis perseuerantia: à qua ne latum culmum discessero. L. Non absimilis es eorum qui ne si solem quidem in manibus gestemus, fidem doctrinæ rectiori commodent: deberes quæ putria sunt, porcis relinquere, nec enim tibi palatum sapiet si carie putribus & rancidis delectere. F. Imò nec tibi cerebrum, si gaudeas recētibus: quæ non minus periculi creant animis quàm corpori: quò fit vt neque nouarum, neq; nouandarum rerum sim admodum studiosus. L. Exitū metuis Apuleij Saturnini, aut Grac-

*chorum. F. Cuiusmodi te manebunt ni incepto desistas. L. Ridiculum: perinde meũ accipis sermonem ac si innouator sim, qui veterrima reuocem, vbi nondum fuere glossularij. F. Si ergo tibi glossæ non probantur, quî placebit viua vox? L. Eadem vtriusque ratio, præterquam quòd viua vox magis afficit, præsertim si est eruditi cuiuspiam vt Corasi: cuius abitus tanto plus amaritudinis reliquit, quanto fuerat eius præsentia iucundior: vt non sit mirum studiosos ob eum lachrymasse, cùm aër plus integro mẽse fleuerit: Itaque substitutionem aliquã desidero. F. Pupillarem? an vulgarem? L. Imò Ferrerij in locũ Corasi: vt nubila (quæ nos circundederunt) sol legum Ferrerius abigeret. F. Si rex Senatorem Ferrerium legibus solueret aduersus illud duodecim Tabularum* SENATORI QVI SENATVI NON ADSIT, CAVSA SIT AVT CVLPA, *illi operam dares? L. Strenuã vt facio doctissimis Massabraco, Perrerio, & Huilletio: sub quibus frugem vberrimam colliget qui se attentum præstabit. F. Vide quàm parũ tibi constes, nuper glossas, & viuam vocem nullo discrimine habebas, paulo momento mutata sententia cygneas voces Ferrerij, Corasi,*

*& similium desideras. L. Imò maneo mei similis, nam cùm impense legibus delecter, tum non tam mihi placent quasi elingues, & quasi mutæ (vt in codice & digestis) quàm argutulæ in palato aut palatio potius Ferrerij & Corasi, & eruditorum: qui mihi instar sunt nõ Scæuolarum aut Seruiorum sed legum ipsissimarum. F. Ergo accedi oportere putas ad publica legum auditoria. L. Accedendum quidem, sed ad heroes de quibus egi: qui nil extra rem, nil ineptè, nil confusè, nil sine ratione tradunt: nec æmuli sunt gregariorum, qui quanto vel verbosius, vel clamosius, de paragraphulo vociferentur, tanto decentius officio se perfunctos credunt: paucula velim sed appositè: nõ illa ægri somnia, quibus nec pes nec caput vni conueniat formæ. F. Apud Tolosam sic insulsos non vidisti. L. Neque me visurum metuo, tam est enim infrequens videre in Tolosatibus (vbi infantuli cum lacte leges sugunt) imperitum & illiteratum leguleium quàm in scythis duos anacharsides. F. Quod si secus eueniret? L. Nunquã potest. F. Finge posse. L. Iuberẽ saluere & valere, locumque libens cederem contubernali qui mallet carduos quàm lactucas, dignũq; iudicarem qui ab ore narrãtis pen-*

*deret annis vndeuiginti: & cum dictatis etiã screatus exciperet. F. Iam gratulor meæ Tolosæ quæ hactenus nec amusos interpretes habuerit, nec putatur habitura. L. Et mihi gaudeo quòd in eorum tempora inciderim. Interea mi Fontaugeri si minus tibi arriserit disputatio, memineris initam tuo rogatu. F. Non me illius piget. L. Vtinam nec reliquos: quos rogatos velim ne seriò legant quod iucundè scriptũ fuit. Vale. F. Vale, & tu feliciter.*

# Anticategoria, in

*QVOSDAM SCIOLOS, qui Dialogum de negligẽdis in- interpretibus Iuris cri- minati ſunt.*

*Ad Conſultißimum Virum Alanum Huiletium.*

*Authore Leodegario à Quercu.*

# Leodegario à Quer-

*CV AD OBLOQVV-* tores.

Qui quæ vult dicit, non quæ vult audit: ob illud
Compeſcat linguam qui maledicta timet.

# Leodegarii à Quercu, ALANO HVILLEtio, gaudere, & bene rem gerere.



INcesserat nuper mihi voluntas (vir consultissime) vt quem de noua ratione interpretandi libellũ exaraui, tibi vouerem: quoniam si beneficium dando accepit, qui digno dedit, fuissem cumulatus abundè magno beneficio, quum tibi dignissimo dedissem. dignus est autem quis eo munere cuius est egregiè præter cæteros peritus: at tu munere interpretandi pul chrè fungeris, eruditorum iudicio: Licet verò aliis inuidiosum fore sim opinatus, tibi tamen probatum iri confidebam, qui nihil soleas improbare: Verùm ab instituto sum reuocatus ob nescio quos ignorantia iuris perditos, qui me ni mium indignis modis acceperunt odio dialogi nuper à me conscripti de Negligendis interpre tibus Iuris. Quibus ego veluti non placui, ita nec mihi quoq;, nec aliis bene placuerunt, cùm

*ſint malè placidi: Imò inde mihi placeo quòd illis diſpliceam, pote quibus nihil iucundum ſit, niſi ſimile carduorum. Sed tibi vni, & D. Mãſencallo diſerto neſcio magis an magis inculpato placuiſſe, pluris duco, quàm ſex millibus inſulſorũ: diſputant autem in eo non oportuiſſe à me factum vt cõtaminarem interpretes: præſertim ſi (vt volunt) non aliter iudicare queã de legũ ſcholiaſtis aut legibus, quàm cæcus de coloribus: Et tamen non ideo de me ita parum ſplendidè loquuntur, quòd ſermone mecum cõgreſsi ſint, vt periculum facerent quantũ promouiſſem, ſed quòd non inducunt animum fieri poſſe, vt quis in iure quicquam conſequatur, niſi plus minus quindecim luſtris incubuerit. Quibus ego facilè cõceſſerim vel Endimionis ſomnũ legibus indormire, dum aliorũ ingenia non metiantur ſua tarditate: Nec inuidebo ſi blateronum omniũ omnes tricas & pedicas ſibi diſquirant, aut etiam diſquiſitis ſuas miſceant, dũ ne culpẽt quòd nolim illis implicari: ſinãtq; me meo viuere more, viuãt ſuo. Alioqui mirabor tantũ eſſe abs re ſua otij, mea ut curẽt. Quæ ſi ſeria ſunt, nõ debuere ridiculè carpi: ſin ridicula, nõ minori riſu digni videntur, qui ad ea inuolarũt, quàm populus Athenienſis, dum*

ad Diogenis tympanum accurrebat. Meritò enim (prima longa) morari iudicantur, qui ad morionum cantilenas se conuertunt omißis rebus grauioribus: Quanquam cur grauis non sit habendus meus ille dialogus? an quòd ardelionum ineptias riserit? Ridentem dicere verum, nil vetat: An quòd probatæ consuetudini renitatur? At nunquam rectius veritas teneri potest, quàm altercando: An quòd liberè quod sentiat, dicat? at in libera ciuitate liberas esse linguas oportet. An quòd contra decorum in iurisperitos agat apud Tolosam, quæ nutrix est iuris & officina legum? At apud musicum Amphionem Zetus frater de musica disceptauit citra inuidiam: An quòd non habeat rē exempli? at authore Plinio nullus est tam infrugifer liber quin habeat aliquammultum bonæ frugis. Et forsitan vt apud Lacedæmonios vtile putabatur inebriari seruos (quos helotas vocant) non solùm vt eorum turpi spectaculo adulescentes ab ebrietate temperarēt, sed etiam vt vino (quod non habet clauum) veritatem internoscerent, sic vrbibus bene institutis expedit aliquando circunferri temulentos dialogos, vt in eorū balbutie quasi in vino veritas eluceat: Itaque mirandum non est si plenus sit ve

*ritatis meus Dialogus, cùm idem plenus ſit vini: Tum enim & incœptus & abſolutus fuit cùm egregiè (pro more) potaretur iucundis regalibus. Quo tempore cũ eſſet ſtudiorum remiſſio, ac nihil haberem quod agerem, NIHIL, (hoc eſt futilem dialogum) agere malui, quàm otium agere: nam in otio plus eſt negotij, quàm in negotio: illudq́; meum NIHIL, etiam ceſſantibus legendum obtuli quòd nihil eſſet eis quod ageretur: vt iucundo NIHILO tanquam inanibus choreis reficerentur. ſed homines nihili, aduerſus meum NIHIL, aliquid nimium cogitantes dignos ſe fecerunt qui nihil aſſequantur, quoniam NIHIL illis negotium faceſſerit. Eaq́ue cauſa ſi (vt inſtituerũt) pergant mecum lege agere quaſi in legiſperitos egerim, beſtias exiſtimabo, & ad beſtias damnandos: Ego enim egi NIHIL, & nihil agi aduerſum me precor. ſecus ſi fiat, aliquid agam, curaturus vt quam voluptatem malè dicendo conceperint, eandem peius audiẽdo amittant. Id quod veritus quidam ſimiolus qui ſolœciſmos aduerſus me adornarat, ſuppreſſit. Eius partes occupauerat aſellus, ſed à fuſtibus timuit: inde mihi res fuit cum bubalo, cuius cornua cùm eſſent longa ſatis, ſed acutá parũ, non*

*est ausus ferire: demũ prodiit vastus elephas, nec tamen barrientem magis horrui, quàm ille ne ego velut sorex in suam proboscidem irrumperem: socius huic contigerat quem Milonem Crotoniatem iudicasses, verum vt Milo corpus exhibuit feris vorandum cum in hiante Quercu vires experiretur, sic adiposus ille meus athleta rimulis meis non se commisit, ne constringeretur. his confectis in spem vocabar fore vt nullis posthac beluarum impetibus lacesserer, ecce verò plus multo periculi quàm nũquam tota vita: nimirum formidandus andabatus me vocat.*

*Non ex iure manu consertum, sed mage ferro. Est illi pro caßide, Nebrißensis: pro lorica, F. Philelphus: pro paludamento, Despauterius: pro parma Augustinus datus: pro pugione Focaudus Monerius: pro ense Monotectũ: pro catapulta, Modus epistolandi: pro pharetra Calepinus: pro sagittis, Septem corbes quæstionum: vt nũquam sagittarius Bagnolettius fuerit armatior. O me infœlicẽ, & natum quarta luna: iam perij, iam nullus sum, iam actum de me. Quid agam rerũ? quo me vertam? quorum fidem implorem? verißimum prouerbium, multis ictibus deiicietur Quercus: sed hoc me re-*

creat, quòd cùm andabatas lucem oderit, & in tenebris vt lycanthropus grassetur, non facilè collimabit, nisi suæ dianæ radiis illustretur. Itaque callidus pugil subornauit diurnum quẽdam HEROSTRATVM, nõ illum Asianũ qui combusto dianæ templo nominis immortalitatem quærebat, sed qui ex aliena infamia famam venetur: peperit enim monstrosum libellum quem typographi recusarunt excudere, tum quòd æra non mereret, tum quòd monstroso partui vitam deberi non opinẽtur: Legi furtim, sed penè me exanimauit fœtore, Næ malim omnium cloacarum spurcum halitum, decẽ mensibus odorari, quàm vel semihora tam merdosum libellum attrectare: Illic me inter reos defert alphabetarius quòd iniecerim falcẽ in messem interpretũ, imò adeò quòd sarculo runcandos censuerim velut tribulos ab agro fertili: Id quod lõgè aliter habet: Ego enim vtranq; in partem disputo de interpretibus, ac ita suspendo iudiciũ vt nihildũ concluserim: sed meus reprehensor academicũ morem nondũ didicit, fecitq; intelligendo vt nihil intelligere videatur. Cæterũ, vt & ille & cæteri mẽtem meã rectius interpretentur, sic existimo: legendos quidem interpretes, sed primæ classis:

*nec omnibus, nec vbique astipulandũ, quòd homines sint vt falli queant, & fallere. At verò proletarios, & minorum gentium sophistas inris, velut algas negligendos putaui: Siquidem quemadmodum homines qui nil habent hominis præter humanam effigiem, non esse homines, sed hominum simulachra dicebat Diogenes, sic ego spurios scholiastas, & nomen Iurisconsultorum ementitos, non appello interpretes, sed stipites, caudices, statuas sine cerebro: Illis bellum indixi, iustissima de causa. Tantùm enim ab eo absunt vt iuuent nostra studia, vt nihil sit quod peræquè studiis aduersetur: nam cùm tãta sit iuris perspicuitas vt vel cæco innotescat, factũ est per istos tenebriones sic obscurum, vt ne ætates quidem duorum Nestorũ intelligendo iuri sufficiant. cùm omnia in dubium vocentur.*

An particula DE significet lagenam? An disiunctio VEL sumatur pro fractis calatis? An lex quę decem vocabulis absoluitur, habeat XX. partes, quarũ prima est prima, & secunda, secunda: & deinceps vsque ad vltimam quæ est vltima: Quia si particula expletiua QVIDEM

EQVIDEM ponatur ante NISI, variatur intellectus: quare recurrẽdum est ad medium vbi consistit virtus, alioqui caperetur NEC pro DONEC in textu, quod est contra communem, vt patet ex modificatiõe glossę, vel (& melius, quod notandum perpetuo) potest alterifariam sumi pro SVPRA, vt istodammet titulo ante materiam feudorum quæ inflat crumenam.

*O lepidos (si diis placet) interpretes. O scholia digna propter quæ vadimoniũ deseratur: Per sacras musas ausim cõfirmare plus esse iudicij vetulis delirãtibus. Et tamen ævi nostri genius malus ita fert, vt in his scopis dissolutis plus versari quàm in textu cõueniat, vt numeremur Iuriscõsulti: Quẽ ego lapidem cum aliis Sysiphis voluo, sed inuitissimus: vt planè mihi videar apud inferos cum Sysipho, quãdo istiusmodi næniis obtundor à glossulariis.*

Fienda est limitatio decisionis huius quæ magistraliter explanefacit vnũ notabile, quod faciet tosto vestram fumare culinam & (vt prouerbialiter metrificãdo loquar) gaignabit multa scuta quidem quoniam: & confortificabitur per

videlicet hoc quod ſequitur. Quotiens totiés vna determinatio determinat duo vel plura determinabilia determinanda non determinata determinare debet æqualiter vt in determinatiuo & finali.§. annotatur prope rationes dubitãdi quæ ſeruiunt ad ramos aſcendentium & deſcendentium qui habent aliqualem ſimilitudinem cũ groſſo ligno diuiſibili in ſuos eſclatos & eſclatorum eſclationes vſque tamen ad ſufficiẽtiam ne fiat proceſſus in infinitum.

*Quis hæc legat abſque riſu? Imò quis intelligat niſi qui anſeres intelligit? ſtudioſorum vicem miſeror, licet miſericordia mea nihil conducat: itaque quoniam non poteſt fieri quod volo, volam quod potero, & cum lupis vlulabo.*

DIXI.

Deo gloria & gratia.

# Proludium in legem

ABESSE .ff. EX QVIBVS *causis maiores XXV. annis in integrum restituantur.*

LEODEGARIVS A QVERCV *Francisco Connano, Libellorum Supplicum in Regia Magistro.*



*Ffẽdebatur Augustus (Cõnane doctißime) sacrari aliquid sibi, nisi quod & grauißimũ esset, & à grauißimis perscriptum. Monebatque Prætores ne sinerent nomen suum Commißionibus obsolefieri. Quod me exemplum reuocat ne tibi (cuius amplitudo non paulò minor est quàm Augusti, virtus autem & eruditio aliquantò maiores) voueam meum leue Proludium: Sed legatione ad te fungi velim, vt significet eam esse animi mei aduersum te voluntatem si quid domi nasceretur quod tibi vel voluptati, vel ornamento esse posset, id* Suetonius in Augusto

*mancipio & vsu fore tuum, Volũtas lauta est, res non perinde: rem voluntate si metiris, nihil est periculi si consecrem. Nã tu licet inter mortales, mortalis sis quidam Deus, non potes munusculum aspernari, quando non in pagis modò, sed amplissimis etiam vrbibus*

Vilibus ornatur, quercubus ara Deûm.

*Itaque tuum esto arbitrium, legationis ne an munusculi nomine accipias, dum vtrumcunque iucũdum veniat. Vale. Tolosæ pridie Idus Nouemb. 1546.*

# Leodegarii à Quercu DIALOGVS.

*Loquuntur Liber, & libri Author.*

*A. Exi de tenebris in apricū. L. Malo latere:*
*A. Vt fur? aut fosso cæspite talpa niger?*
*L. Ni vitarim oculos, Linguas vitare nequibo.*
*A. Quorum? L. Multorum queis maledicta placent.*
*A. Tā stultū est linguas hoīm cōpescere velle,*
*Quàm volucrū leuiū murmura, vere nouo.*
*L. Id populare nimis populo nō multa probari:*
*A. Iudicium populi solius aßis habe.*
*Nā populus nūero melior quàm pōdere: Quare*
*Multorum capitum bellua sit populus.*
*L. Si me fex vulgi contēnet, quomodo poßim*
*Patritiis iuris rite placere? A. Minus:*
*Inter at eximios & ineptū vulgus habentur*
*Quidam interiecti. L. sic reor. A. hos adeas.*
*Vt Lucilius indoctis, doctísque negabat* Ex Cic. lib. 2. de Orat. ad Q. frat.
*Scribere se satyras, sic ab vtrisque caue.*
*L. Quàm frugem capient mediocres? A. Pol satis amplam,*
*Si legum eße poteſt ipsa medulla satis.*

L. Sed me centoni similem fortasse putabunt:
A. Quid vitij cento discolor vllus habet?
Floriferis vt apes in saltibus omnia libant,
Inde fauos condunt gnauiter alueolo,
Sic est ex variis farrago aptanda libellis:
Sic est diuersis mensa paranda cibis.
L. Quid si quis Môm⁹ ceu ludicra rideat istæc?
A. Tum prece contendas vt meliora ferat.
L. Permittas rodi à tineis, blattísq; per annum:
Dein quocunque voles protinus egrediar.
A. Si fieri nequeat quin tu rodare, perinde est
Rodi à uermiculis, inuidulísve viris.
Nam parui refert moriamur in aëre, an vnda,
An flamma, an terra, si decet vsque mori.
Quare exi. L. Exibo veluti testudo: nec vltra
Quàm caput, atq; pedes à cochlea exilient.
A. Cur ita? L. Si forsan nequeã par ictibus esse,
Intro regrediar tutius ad cochleam.
A. Consiliũ laudo: Atq; vtinã feliciter illud
Cedat, ne migres tristibus auspiciis.
Post tabulã interea latitãs velut alter Apelles
Obseruo qualis sermo futurus. Abi.

*MODESTINVS* [1] *ait.*



*Besse Reip. causa intelligitur, & is qui ab Vrbe profectus est: licet nondum prouinciam excesserit. Sed & is qui excessit, donec in Vrbem reuertatur. Et hoc etiam ad Proconsules, Legatósque eorum, & ad eos qui prouincijs præsunt, procuratorésve Principum qui in prouinciis tenentur, pertinet: & ad Tribunos militum, & Præfectos, & Comites legatorum, qui ad Aerarium delati, aut in commentarium Principis relati sunt.*

*Leodegarius.* *Quando hæc lex agit de Reip. causa absentibus, qui in integrum restitui solent, commodum fore putaui si non antè ad legis statum veniam, quàm de absentibus, & restitutione verba fecero: Non ita longè repetens initium, vt ancilla Medeæ apud Ennium his senariis.*

*2 Vtinam ne in nemore Pelio securibus*
*Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes.*

1 Lib. 8. regularum.

2 Cicero hos versus vsurpat in opusc. de Fato, agens de causis nõ necessariis: & in Top. de causa sine qua non, & in Reth. de narratione nimiũ longè petita, & pro Cælio, quum eos vrbanè accommodat Clodiæ.

*Nec post initium ita excurrens, vt meritò dicant.*

3 *Amphora cœpit*
*Institui, currente rota cur vrceus exit?*

*Sed quantum in me situm erit operam dabo, ne dum paucis de re dißeram, quicquam omißum videri queat. itaq; iam in rẽ ingredior, quod vtinam tam felicibus fiat auspiciis, quàm animo fit bono.*

*Vt est in more positum apud medicos, vt contraria contrariis curent, sic apud nostros Iurisconsultos: Nẽpe si quid destitutio, læsióve abstulerit (modò nõ* 4 *nimis exiguum) instauratur restitutione in integrum. Est* 5 *autem restitutio in integrum reductio in eum statum in quo quis prius erat quàm lædebatur. Lædi verò contingit cùm vel labimur, vel circunscribimur. Et tum Prætor* 6 *edicto suo nobis opem*

3 Horat. in arte poet.
4 L. Scio. ff. de resti. in integr.
5 L. Prætor § restituas. ff. ne quid in loc. pub. l. videamus, 2. §. in fauiana. ff. de vsur. Porrò quàm laté pateat significatio restituendi, & an omnes magistratus poßint restituere tradit Oldendor. in sext. claß. cum quo vide Zazium, & sum. Azonis hoc tit.
6 L. prima. ff. de resti. in integ.

*fert, siue metu, siue calliditate, siue ætate, siue absentia inciderimus in captionem, siue (vt ait 7 Paulus) per status mutationem, aut iustum errorem. Quod enim metus causa gestum est, 8 ratum non habet Prætor. Quoniã vim 9 atque metum comprobare, contra bonos mores est: dum metus non sit 10 vanus, sed qualis in virum cõstantem cadat. Porrò vim sic execratur Cicero lib. 3. de Legibus. Nihil est exitiosius ciuitatibus, nihilque tam contrarium iuri, & legibus, nihil minus ciuile est & humanum, quàm composita & constituta Repub. quicquã agi per vim, &c, insuper 11 ne dolosis sua malitia sit lucrosa, probis autem simplicitas damnosa, iudiciũ dat de dolo malo. Bonũ 12 verò dolũ neq; Prætor, neq; alius quisquã damnat,*

Cic. exponẽs illud 12. tab. Vis in populo abesto.

7 L. secunda. ff. eod.
8 L. 1. ff. de eo quod met. caus.
9 L. nihil consensui. ff. de reg. iur.
10 L. vani timoris. ff. de reg. iur. vide Cic. pro Cæcinna.
11 L. 1. de dolo malo. ff.
12 L. non solum, Cod. de comer. & mercat. & l. 1. §. non fuit. ff. de dol. ma. & l. nihil interest. ff. de capt. & postl. huc spectat illud Verg. dolus an virtus quis in hoste requirat?

*cuiusmodi est ille medicorum in ægrotos: qui lepidißimis Lucretij versibus ita depingitur libro primo de natura rerum,*

*Sed veluti pueris absynthia tetra medentes*
*Cum dare conantur, prius oras pocula circum*
*Contingunt mellis dulci flauoque liquore,*
*Vt puerorum ætas improuida ludificetur*
*Labrorum tenus, intereà perpotet amarum*
*Absynthij laticem, deceptaq; non capiatur:*
*Sed potius tali facto recreata valescat.*

*Deinde Prætor* 13 *tutelã capit minorũ xxv. annis, quorum consilium ob (huiusmodi ætatẽ) fragile est, & multorum insidiis sic expositum, vt probè accommodari poßit illud quod non minus verè quàm eleganter à Satyrico dictum est Satyra quarta,*

*Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox*
*Ante pilos venit? dicenda, tacendaq; calles?*

13 L.i.ff.de minorib.xxv.annis: multæ autẽ causę dãtur in tract.de iure singulari. Oldendor. cur aliquando minores xxv. annis non restituantur. Multæ etiam referuntur à Zazio tit. de minoribus.

*Indefensos quoque non sinit eos Prætor, qui (salua* 14 *ciuitate) capitis diminutionem patiuntur. Si quid enim cum his actum contractúmve sit, perinde haberi solet quasi id factũ non sit. Ad extremum* 15 *præsto est illis qui Reip. causa absunt, (si modò sine* 16 *dolo malo absunt ait Calistratus) Abesse verò Reipu. causa eos solos* 17 *intelligimus, qui non sui cõmodi causa, sed coacti absunt. Itaque qui libe-*

14 L. pertinet. ff. de capite minutis. Triplicem autem capitis diminutionem tradit Paulus. l. capitis. ff. eod. & Imperator lib. 1. Instit. & Ausonius poëta in gryphis his verbis,

Triplex libertas, capitisque minutio triplex.

Porrò quam hic Iurisc. vocant capitis diminutionem, Cicero vocat demptionẽ de capite act. Verr. idemque in Pisonem, ait ciuem indemnatum integri esse capitis.

15 L. absentia eius. ff. de reg. iur. & l. i. ff. ex quibus caus. maio. & l. Pannonius auitus. ff. de acquir. vel omit. hær. & l. quia absente. C. de proc. & l. cum quidam. ff. de acquir. vel omit. hær. & l. si propter. C. ex quibus caus. maio. & l. si quid. C. de resti. mili.

16 L. item hi. ff. ex quibus caus. maio. & l. ignorare. C. de resti. mil.

17 L. Reip. causa. ff. ex quib. caus.

*ra legatione* 18 *abest, non videtur causa Reip. abesse. Porrò liberæ legationes (vt tradit Alexander ab Alexandro)* 19 *olim ornamenti tãtum causa ab Senatu impetrabantur, quemadmodũ honorarij magistratus à principibus honestamenti causa conceduntur, tituloque tenus obeuntur. Hæ autem legationees ab his Senatoribus impetrabantur, quibus negotia futura erãt in prouinciis, vt qui hæreditates persequi, aut legata, aut qui nomina exigere volebant in prouinciis, legatorum personis acceptis, commendabiliores controuersias haberent. Quod cùm iniquè fieret, sancitum est duodecim tabu*

18 L. Qui libera legatione. ff. de legation. & l. non vere. ff. ex quib. caus.

19 Lib. 6. cap. 3 &c. Hic verò locus non mediocriter facit ad Germanum intellectum legis, qui libera legatione. ff. de legation. vbi glossemat. malè legit qui liber à legatione: hoc est liberatus, inquit: debuit verò legere qui libera. Cicero in 1. & 2. orat. in Rull. meminit harum legationum liberarum, quas in consulatu suo repressit, vt scribit lib. 3. de Leg. Fecitq; annuas, sed postea lex Iulia etiam quinquẽnales indulsit: Cicero ad Attic. habẽt, vt opinor, liberę legationes definitum tẽpus lege Iulia, nec facilè addi potest, bella est autẽ huius iuris quinquennij licentia.

*lis ad hunc modum.* REI suæ ergo ne quis legatus esto: *Nãque authore Cicerone lib.* 3. *de Legib. nihil esse turpius potest, quàm quenquã legari nisi Reip. causa. omitto (inquit) quẽadmodum isti se gerant, atque gesserint, qui legatione hæreditates, aut syngraphas suas persequuntur, in hominibus est hoc vitium: Sed quæro quid hac re sit turpius, quàm sine procuratione senatoris legatus sine mandatis? sine vllo Reip. munere? Quod quidẽ genus legationis ego Consul (quanquã ad commodum Senatus pertinere videatur) tamen approbante Senatu frequẽtissimo, nisi mihi leuiss. Trib. ple.* [20] *intercessisset, sustulissem: minui tamen tempus: & quod erat infinitũ, annuum feci. Ita turpitudo manet diuturnitate sublata, &c. De his satis, nunc in viam. Quædam* [21] *incidunt aliquando tẽpora, cũ neque absentibus Reip. causa, neq; minoribus* 25. *annis, neque militibus,*

20 Inuectio in Clodium.

21 In opusc. de iure & æquitate doctus legum enodator Oldend. agit copiosè & ornatè de temporibus & circunstantiis quibus non conceditur restitutio in integrum absentibus Reip. causa. Illinc pete, mihi satis esse puto velut digito fontem ostendisse vnde hauries.

*neque scholasticis destitutis, restitutio in integrum conceditur. Nemini autem mirum esse debet, quod scholasticos ascribã Catalogo absentium Reip.causa, Nimirum ea voluntas est Imperatoris miserẽtis scholasticorum, qui amore scientiæ exules facti, de diuitibus pauperes, semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilißimis sæpe hominibus (quod grauiter ferendum) corporales iniurias sine causa perferunt. Veruntamen in pientißima illa Friderici constitutione potißimũ agitur de scholasticis nobilium legum studiosis: vt & alibi de Aduocatis, qui dirimunt ambigua facta causarum, suæque defensionis viribus sæpe publicis in rebus, sæpe priuatis lapsa erigunt, & fatigata reparant, nec minus prouident humano generi, quàm si præliis atque vulneribus patriam parẽtésque seruarent. Neque enim solos nostro imperio militare credimus illos qui gladiis, clypeis & thoracibus nituntuur, sed etiam aduocatos. militant nanque causarum Patroni, qui gloriosæ vocis cõfisi munimine laborantiũ spem, vitã & posteros defẽdũt. Itaq; si istis obsunt tẽpora ne aliquãdo restitui queãt, sanè debet nobis ob oculos uersari quod ab Ouid. perscriptũ eleg. I. li. I. de Trist.*

L.aduocati. C.de aduo. diuersi.iudi.

*Iudicis officium est, ut res, ita tempora rerum*
*Quærere, quæsito tempore tutus eris.*

*Cæterùm ut tandem ad legis scopum collimemus, partem primam ex mente Modestini sic colliges. Ab ea die qua quis à ciuitate profectus est, quoad in eam reuertatur propter publicam utilitatem, non sui cōmodi causa, dicitur quis abesse. Alteram partem sic. Proconsules, Legatosque eorum, & prouinciarum Præsides, procuratores Principum, Tribunos, Præfectosque militum, eorumque omnium comitatum, gaudere Legis priuilegio, sed eos non aliter censeri abesse causa Reipub. quàm si in acta Aerarij publica, aut in priuatum commentarium principis, se referendos curarint: hoc est (ut vulgus Imperitorum loquitur) enregistrare se fecerint. Initio autem Legis per quandam Procatalypsin occupat, Modestinus quod quæri posset, An is qui Roma quidem egressus est, sed nondum Italiam excessit, iam tum Reip. causa abesse censeatur? & abesse iudicat. Quandoquidem 22 qui vel præparauit, incepisse vi-*

Scopus legis Abesse.

22 L.i.§.cœpisse.ff.de pollic.& l. quemadmodum.ff.inoffi.test.l.si pecuniā.ff.de cond. cau. dat.l.cum à matribus, Cod.qui petant tuto.vel curat.

*detur: Quin adeò itineris arreptio 23 vim habet appellationis. Existimat etiam 24 eum qui prouinciam excesſit videri toto tempore abesse vsquedum Romam regressus sit. Imò adeò cum 25 domi est, abesse censetur. Datur enim modicum tempus ante exitum, & post reditum, vt homo res domesticas componat, & sarcinulas aptet. Quid? quod authore Vlpiano qui Romæ præsens 26 maneat, abesse tamen tum iudicetur Reipub. causa, vt Præfectus vigilum & miles? Qui enim Romæ militant, pro Reipub. causa absentibus habentur. Idemque de militum 27 medicis censendũ est: quoniam officium quod gerũt, & publicè prodest, & fraudem illis adferre non debet. Verũtamen hoc priuilegium militũ negatur 28 magistratibus, licet Romæ Reip. causa dent ope-*

23 Cap. dilecti, de appellationibus.
24 Versiculo sed & is, l. abesse.
25 L. ab hostibus. § simpliciter. ff. eod.
26 L. milites. ff. eod. Si tamen commeatu accepto, in domo sua est, non videtur Reipub. causa abesse, ait Iab. l. miles. ff. eodem.
27 L. inter eos. §. medici. ff. eod.
28 L. & qui. §. sed qui, & l. vt sũt. ff. eod. de priuilegiis militũ scripsit Claud. Cottere⁹ Turonẽsis,

*ram: Quandoquidem militis officium aliis negotiis sufficere nequit. Remotumque est à causis, aut potius causis contrarium. Silent enim leges inter arma, nec se expectari iubent, cum ei qui expectare velit, antè iniusta poena luenda sit, quàm iuste repetenda. Hinc Marius ob armorum strepitum dicebat se non audire verba legum: vt verissimum sit illud Ennij,* Cic. in orat. pro Milone

*29 Non ex iure manu cōsertū, sed mage ferro*
*Rem repetūt, regnūq; petūt, vadūt solida vi*
*Spernitur orator bon⁹, horridus miles amatur:*
*Tollitur è medio sapientia, vi geritur res:*
*Nec doctis dictis certantes, sed maledictis,*
*Miscent inter sese inimicitias agitantes.*

*Sed enim cum multos enumeret Paulus & Vlpianus, qui Reip. causa absunt, nullorum tamē maius est priuilegium, quàm militum. Non ob morum probitatem, nanque Lucanus,* L. qui mittuntur, & l. si cui. ff. eod.

*Nulla fides pietasq; viris qui castra sequūtur.*

*Sed ob necessariam defendendis patriæ finibus*

29 Ennii poëtæ vetustissimi versus, quos Cic. citat in epist. ad Trebat. lib. vii. earum quæ falsò vocantur familiares.

*industriam, sunt enim milites (vt mulieres) malum Reip. necessariũ, vtpote sine quo Respublica non consistat. Vnde cum xij. tabulis ita sancitum esset,* Homini mortuo ne ossa legito, quò post funus faciat, &c. *Hoc est, ne alibi cadauer mortuorum vratur, & alibi vrna cineres condantur, ne funebrium pomparum impensæ duplicentur: tamẽ authore Cicerone* 30 *lex excepit bellicam mortem, indulsitq; militibus bello mortuis, vt eorum reliquiæ maiorum sepulchris inferrentur. Si quis verò dubitat, an is qui Reipub. causa abest in aliqua re lædatur, in qua etiam si Reipub. causa non abfuisset, damnum erat passurus (veluti si chasmate ædes perierint) restitui debeat? Putat Paulus* 31 *non restituendum. & rectè putat, quia absentia non fuit causa læsionis: præsenti enim ædes æquè perissent. Rur-*

30 Lib. ii. de legibus, vbi exponit ll. xii. tabul. quæ funebria sustulerunt, vnde luctus augerentur: porrò dulce fuit antiquis sepeliri in patria, & cum maioribus. Itaque Ouid. exul sic ad vxorem scribit,

Ossa tamen facito parua referantur in vrna:
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

31 L. is quis. ii. ff. ex quibus caus. maio.

*sus si vocetur in quæstionem, An qui Reipublicæ causa absuerit, etiam aduersus eum qui pariter Reipublicæ causa absuerit, debeat restitui? præsertim si aliquid damni iustè conqueratur? iudicat Marcus 32 restituendum. Nec tamen tum priuilegiatus aduersus priuilegiatum 33 gaudet priuilegio, quoniam absentia sola non est causa priuilegij, sed absentia cum læsione. At præscribens licet sit absens, non læditur, itaque non videtur priuilegiatus. Magnum 34 porrò discrimen est inter eos qui Reipublicæ causa absunt, & inter minores xxv. annis: vt est quoque inter abesse, & in 35 fuga esse. Notandum insuper si quis sæpius causa Reipublicæ absuerit, ex nouissimo eius reditu 36 tẽpus restitutionis esse ei computandum. Nec silentio prætereundum, quod absens Reip. causa non solùm viuus gaudet beneficio restitutionis in integrum,*

23 L. qui Reipub. ff. eodem.
33 L. verum. ff. de mino. xxv. annis.
34 L. inter minores. ff. de restitutione in integrum.
35 L. sciendũ. ff. ad leg. Fauiam de plagiariis.
36 L. necnon. §. si quis sæpius. ff. ex quibus causis.

*ſed 37 etiam moriens ad hæredes transfert. Quòd ſi quis mihi obiiciat verba Pauli, In omnibus cauſis id obſeruatur, vt vbi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiēte ea, beneficium quoque deficiat. Fatebor quidem, ſed in abſentia militis non perſona, ſed cauſa locum dat beneficio. In ſumma, vt tandem imponam finem loco huic de abſentibus, Sanè multis 38 modis quis abeſſe dicitur. Sunt enim qui ex cauſa probabili & neceſsaria abſunt vt milites, ſunt qui ex probabili tantùm, vt qui peregrè agunt cauſa ſtudiorum, ſecundum communem, ſunt qui neceſſariò tantùm, vt relegati, ſunt qui ſponte vt mercatores. De primis autem agitur in noſtra lege. Atq; hæc ſatis, aut etiam nimium multa de verbo abeſſe, reliqua ſigillatim expendamus.*

„ *REIP. CAVSA.*

*Spectatur 39 præcipuè cauſa primaria in eo*

37 L. ſi Valerianus. C. de reſt. mil. & l. nō ſolū. ff. de reſt. in integrū, & l. hæredē. ff. de regul. iur.
38 Vide Alc. in l. abſentē. ff. de verb. ſig. & Accur. l. præſens. ff. de procur. & l. abſentem. ff. de verb. ſig. & l. fin. C. de præſcript. long. tēporis. Vide etiam Iaſ. in §. rurſus, de act.
39 L. non verè, & l. Reipub. cauſa. ff. eodem.

*qui putandus sit abesse causa Reipub. Ideo potest legatus rem suam priuatam cum publica simul administrare, nec tũ dicetur abesse priuatim, quoniam priuatam rem secundaria causa curat. Interim* 40 *etiam notabis seruum non posse abesse Reipub. causa.* Vide Accurs. dicta l. non verè.

## „ AB VRBE.

*Sicuti quoties non addimus nomen cuius sit ciuitatis ius ciuile, * intelligimus Romæ, sic cum Vrbem sine adiectione dicimus, per antonomasiam intelligimus Romam.* * §. sed ius inst. de iur. nat. gent. & ciuili.

## „ PROVINCIAM.

*Prouinciæ Consulares, & Proconsulares regebantur à Consulibus &* 41 *Proconsulibus, erantque in potestate Senatus, at prouinciæ*

40 L. seruus. ff. de reg. iur. Verũtamen Philip. Deci. aliquot legibus illic probat. seruum posse abesse causa Reip. non solùm quando non est alius æquè idoneus, sed etiam quando æquè idoneus alius est, & ideo inhabiles admittendos cũ de vtil. publ. agitur.

41 Vide scriptorẽ dierũ genialiũ, lib. ii. c. xxvii.

*Pretoriæ & Præsidiales administrabantur à Pretoribus & Præsidibus, & erant sub ditione populi. Numidia, Lybia, Asia (citra Taurum) & Cyrene erant consulares. Carthago proconsularis. Tripolis & vtraque Mauritania & Aegyptus erant præsidiales. Cyprus, Iberia, Sardinia, Sicilia, Illyricus, Achaia, Creta, & Bythinia prætoriæ. Sardiniam, & Corsicam olim prætorias, post sub Præsidibus fuisse comperimus. Soli verò Maßilienses & Nemausenses ab onere prouincialis Pretoriæ ferũtur immunes. Cumque omnis Hispania in sex prouincias diuidatur, ex his Rhetica & Lusitania consulares fuerunt. Reliquæ sub Præsidibus. Constat autem prouincias esse dictas, quòd procul ab Italia armis victæ fuerint. In has mittebantur proconsules & legati, qui ius redderent, & tributa exigerent. Aliæ autem continentes, aliæ transmarinæ. Continentes vt* 42 *Gallia, Illyricum, Rhetia, Vindelici, Pannonia, Germania. Transmarinæ, vt Asia, Aphrica, Syria, Cyprus, Achaia. Vlpianus autem censet Siciliam*

42 Vide l. notionem. §. continentes. ff. de ver. signific.

43 *magis numerantem inter continentes, quoniam modico freto ab Italia diuiditur. In iure verò pontificio, prouincia pro diœcesi accipitur, in qua decem vel vndecim sint ciuitates, quibus is qui dominatur, rex dici potest. Porrò illud certum est prouinciam in l. abesse capi pro Italia per antonomasiam.*

„ *EXCESSERIT.*

*Cùm* 44 *enim primum domo sua pedem extulit, aut etiam dum domi se præparat, ad similitudinem absentis videtur.*

„ *SED ET IS QVI.*

*Est hic sensus. Qui egressus est prouinciam, iam abest Reipublicæ causa, vsque dum Romam reuertatur: nec id solum quum officio*

43 Dicta l. notionem, at verò Accurs. ait Siciliam non esse prouinciam, sed dominam prouinciarum Auth. qua in prouinc. Cod. vbi de crimi nibus ag. op.

44 L. qui mittuntur, vers. similiter. §. sed & si, ff. ex quibus caus. ma.

publico fungitur, 45 ſed etiam cùm defunctus eſt. Nec obſtat quod ſcriptum eſt ab Vlpiano. 46 Tandiu Reipublicæ cauſa abeſſe quem videri quandiu officio publico fungitur. quòd ſi finitum fuerit officium, iam deſinere abeſſe defunctum officio, &c. Soluitur enim ab eodem hic nodus cùm ibidem ſcribat. Sed ad reuertendum, homini tempora computabimus (ſtatim atque deſiit Reipub. cauſa abeſſe) ea quibus reuerti in vrbem potuit: & erit moderandum, tempora ei dare, quæ lex reuertentibus præſtat: ac planè ſi infirmitate impeditus, continuare iter non potuit, habetur ratio humanitatis, ſicut haberi ſolet hyemis, & nauigationis, & cæterorum quæ contingunt.

„ DONEC.

Argumentum eſt à pari, cuius ſenſum iam expoſui.

45 L. ab hoſtibus. §. ſed quod ſimpliciter, ff. eodem.

46 L. ſi cui. §. tandiu. ff. ex quibus cau. & l. ſancimus. C. de reſt. mil. in quam opinionem videtur inclinare Bald. qui putat finito officio, beneficium finiri.

„ PROCONSVLES.

*Proconſul 47 primo creatus eſt bello infeliciter geſto cōtra Equos populos, vt obſeſſo conſuli opem ferret: ſic dictus quòd pro Cōſule mitteretur, licet ſex duntaxat lictores eum anteirent. Deinde finibus propagatis obſeruatū eſt, vt quo quique anno conſules fuiſſent ſequenti proconſules remanerent: & in prouincias cum imperio mitterentur. De officio procon. copioſè & eleganter ſcripſerunt Vlpianus, 48 Mart. & Pap. de qua re vide elegantiſſ. epiſt. Cic. ad Q. Fratr. lib. i. epiſt. i. vbi pulchrè tradit qualem eſſe oporteat proconſulem. Inter poteſtatem proconſ. & conſ. hoc diſtabat, quòd proconſ. tantum in decreta & ſtatuta 49 ſibi prouincia iuriſdictionē contentioſam exercebat. Conſul autē extra prouinciam & vbiq;.*

„ LEGATOSQVE

*Satis conſtat hic legatos ſumi pro vicariis, ſeu locum tenentibus, qui operam fiduciariam ſu-*

47 Vide Feneſtellam in opuſcu. de magiſtratibus Rom. potes & T. Liuium.
48 Tit. de offic. & Procon. & Legat. ff.
49 L. proconſul. & l. omnes proconſ. ff. de off. proconſ.

*periorum obtinent: nam illis redeuntibus cedunt, de legatorũ offic. vide lib.i.* 50 *Pand. Porrò* 51 *tres legati ab vno proconſ. poterãt eligi.*

## „AD EOS QVI PROVINCIIS.

*Intelligit Præſides prouinciarum, quos Græci vocant harmoſtas, quaſi conſtitutores prouinciarum, vulgus appellat magnos gubernatores nationum. Porrò Iuriſconſ. Mart. facit duplex* 52 *nomen præſidis. Generale, quod extenditur ad proconſ. & legatos Cæſaris, & omnes qui prouinciis præſunt, licet (inquit) ſint Senatores. Speciale autem quod pertinet ad eos quos nuper dixi appellari magnos gubernatores nationum. Quæ autẽ ſint partes Præſidis prouinciæ, vide lib.i.* 53 *Pandect.*

50 Tit.de off proc.& Leg.
51 Itaque Cicero gratulatur Q. Fratri, quòd tres optimos elegiſſet. Tuberonem, Halienum, Gratidium.
52 L.nomen.ff.de off.præſ prouin.
53 Tit.de offic.Præſ.prouinc.

## „ *PROCVRATORES'SVE PRINCIPVM.*

*Fenestella* 54 *rationem adfert cur sint introducti procuratores Cæsaris. Nimirum ne Cæsar in causa propria iudex esset. Creati sunt igitur, vt esset illis competens iurisdictio inter Cæsarem & personas priuatas, & vt res Imperatorias* 55 *procurarent.*

## „ *TRIBVNOS MILITVM ET PRAEFECTOS.*

*Horum* 56 *munus erat continere milites in castris, interesse frequenter principiis (dicta autem sunt principia à principibus, qui in secunda acie sunt) querelas militum audire: Quando verò & quomodo partim ex plebe, partim & patribus sint creati, consulari potestate, tradit* 57 *Pompo. Vulgus hos militum præfectos, vocat mareschalcos. Erat autē hic*

54 Cap.xxvi de Magistr.Rom.
55 Hoc satis constat his qui legerūt, tit.de off. procur.lib.i.Pand.
56 Vide Liuium, Fenestellam, Pom. Lætum.
57 L.ii.ff.de origine iur.

*Castrens. ordo, vt miles, centurionis, Centurio, tribuni, tribunus, legati, legatus, consulis, magister equitum, dictatoris pareret imperio.*

„ *ET COMITES.*

*Ex Ciceronis 58 epist. ad Q. Fratr. constat fuisse duplices comites, quosdam fuisse adiutores & ministros Imperij publici & magistratus: alteros autem fuisse apparitores & domesticos proconsulis, aut præsidis, aut legati, qui tamen ipsi etiam publicè dabantur, vt accensus, præco, medicus, lictores, aruspices, qui quasi ex cohorte dicebantur.*

De variis comitum formis legito posteriores lib. Cod.

„ *AD AERARIVM DELATI.*

*Aerarium 56 erat sacrarium legum, & actorum publicorum. Nam in ærario non solùm seruabatur pecunia publica (quam tribuni ærarij cùm opus erat promebant) sed etiam Senatusconsulta & leges, & acta, & tabulæ publicæ, ad memoriam publicam posteritati pro-*

58 Ea est prima lib. 1.
59 Budæus annot. in Pandect.

*dendam. Id quod xii. tab. ad hunc modum sciscunt,* 60 *Promulgata proposita in ærariis condita habento. Ideo autem ærarium erat in æde Saturni, quoniam quo tempore Saturnus Italiam incoluit* 61 *nullum furtum commißum est. Solebant ad illud ærarium Imperatores exercituum, ex prouinciis decedentes, referre suas rationes, hoc est, computos reddere. Cæterùm magnum discrimen est inter deferri in ærarium, & referri in ærarios. Nanq; authore Asc. Ped. Relati in ærarios dicebātur plebei, notati ob infamiam à Censoribus & in ceritum tabulas relati, vt ærarij fierent, ac per hoc non essent in albo centuriæ suæ, scilicet vt essent ciues, sed tantummodo vt pro capite suo (tributi nomine) æra penderent: Quæ & consuetudo Athenis fuit. Ac vt Romæ in ærariū, ita Athenis nomina eorum in arcem referebātur. Aliter puniebantur equites, nempe ademptione equi publici: vt Senatores ablata Senatoria dignitate, &c. Sed deferri in ærarium dicebantur illi, quorū nomina in regesto publico*

60 Cic. lib. iii. de legib. citat hāc legem & exponit.
61 Macrob. lib. i. Satur.

*ascripta erant. Aerarium 62 porrò erat populi, fiscus autem principis, donec omnia princeps in suum fiscum transtulit.*

## „ IN COMMENTARIVM PRINCIPIS.

*Commentarius, est liber (inquit 63 Budæus) quem sibi quisque nostrum priuatim facere cõsueuit, quasi quoddam promptuarium memoriæ eorum quæ agimus, hoc est, diarium & ephemeris est actionum nostrarum, quod latinè dici potest regestum, quia regeruntur omnia in illud. Illi autem dicebantur relati in commentarium Principis, qui curauerant sese enregistrandos, vt insulsi loquuntur.*

62 Vide Alc. in l. inter publica. ff. de verb. sig.
63 Annotationibus prioribus in Pand.

## PERORATIO.

*Habes (generose lector) ingenij mei primos conatus, qui si aut honesti sunt, aut tu non morosus, debes æqui boni facere: Nam vt quisque vir est honestißimus, ita honestis aliorum conatibus fauet. Si quid in his est quod ad palatũ non facit, abstine linguam: & puta tum tuis, tum doctißimorũ studiis suam olim fuisse infantiam. quanquam (nisi mihi sum suffenus) non deterius operã collocabis legendo meo proludio, quàm cùm vel ludes, vel palato indulgebis. Vale, & conniue. Tolosæ, 1546. Prid. Idus Nouembr.*

Deo gloria & gratia.

# Progymnasmata in

*L. ETIAM MILITIBVS ff. de obsequiis, à liberis & libertis parentibus & patronis præstandis.*

## LEODEGARII A QVERCV DIALOGVS.

*Loquuntur Lector, & Author.*

L. *Qui nunc enodas enodia iura, lucernam*
*Accendis, medio (sole micante) die:*
A. *Idem si soluam nodosa ænigmata legum,*
*Figlinam à dolio protinus incipiam.*
L. *Ergo quiescendum:* A. *Quã lõgo tẽpore?* L. *donec*
*Te præstare queas sphingibus œdipodem.*
*Scis quid Pythagoras præcepit: Nemo loquatur*
*Ante (unum lustrum) quàm taciturnus agat.*
A. *At* Cicero *censet, dicendo dicere disci.*
*Cuius ego dictum præfero Pythagoræ.*
*Nam stylus, optimus est dicendi effector & author:*
*Hoc sumus artifices, ut fabricando fabri.*
L. *Si quis rite stylo scit cum prudentibus uti,*
*Sæpe retractat opus quando sacrare cupit.*

*Sicque retractando, aut indignum luce uidebit,*
*Aut dignum faciet luce, linendo diu.*
*At tu more canum cæcos paris usque catellos:*
*Et uitam perdis, uiuere quando paras.*
*Ergo festina lentè, uel fabula fies*
*Omnibus, excepto præsule cui dederis.*
A. *Commeiant omnes, conculcent, nil moror omnes*
*Vni cui uoueo posse placere sat est.*
*Si suffragetur, suffragia docta Mineruæ*
*Emerui, & felix omnia puncta tuli.*

Deo gloria & gratia.

# Illuſtriſsimo viro

*D. PHILIPPO LENVNcourtio, Abbati Eſpernaico, Leodegarius à Quercu, S.*



*Ngenitum eſt omnibus claudis (vir illuſtriſsime) vt ingrediẽdi ſint auidiores, quàm quibus à natura rectus inceſſus contigerit. Quam quidem rẽ non minus ridiculè videmus vſuuenire partubus animorum, vt quanto ſint imperfectiores, tanto cupidius in publicum prodire velint. Roges, quî ſciam? ſanè & de aliis dudũ, & de meo (quem nudiuſſextus abortiui) feci coniecturam. Enimuero vt diutius continerem, cœpi id ei memorare quod Iuriſcõſultus Paulus ex Hippocrate citat, Septimo* [a] *menſe naſci perfectum partum, &c. Addebam quoque, non* [b] *eſſe liberos qui cõtra formam humani generis conuerſo more procreãtur. At meo nec maiores nec pulchriores partium ductus quàm embrioni.*

a L ſeptimo. ff. de ſtatu ho. vide Epi. Cic. quę incipit Tullia. li. 10. ad Attic.

b L. Non ſunt liberi. ff. de ſta. ho.

*Denique vt verecundia moueretur, dicebam solere vulgo conceptos (vt eos a quorum opibus inhiamus) medicamentis abigi, ac ante legitimum nascendi tempus erumpere. Sed vt est inops consilij illa rudis ætas (aut potius ætatis initium) ita meos omnes monitus nauci fecit. Dicas, cur igitur à verbis non tandem ad verbera? Conabar: sed prouocatum est ad te in cuius potestate & manu esse se, non in mea, confirmabat. Si enim seruorum partus in dominorum sunt mancipio, ego autem addictissimus tibi seruus, colligebat se non esse mei dominij: Fateor equidem ingenuè, peculium quod penes me est, quantulumcunque est, amplitudini tuæ, iure deberi. Et honestius esse, tibi seruire, quàm honoratissimis imperare. Sed pumilioni tum maximum patronnm, tum immeritam libertatem non possum nõ inuidere: quàm facillimè consequetur cũ ita sis magnificus vt non soleas rogantibus quidquam negare: Itaque antequã te ille roget, stipulor vt hac lege tibi sinas mãcipari ne emancipes. Alioqui futurum est vt exemplo furciferi vernæ alij prouocentur ad abutẽdum tua singulari benignitate. ac te post-*


a L. Cicero. ff. de pœnis.

b Seruus enim qui in alterius est potestate nihil suum potest habere, Instit. per quas perso. cuiq; acquir. §. Itẽ vobis. versi. Ipse enim seru⁹

hac extricare nequeas à concursu flagitatorum, Vale. Tolosæ pridie Cal. Sept. 1548.

## LEX PRIMA.

VLPIANVS.



*Etiam militibus pietatis ratio in parentes constare debet. Quare si filius miles in patrem aliqua commiserit, pro modo delicti puniendus est. Et inter collibertos matrem & filium, pietatis ratio secundum naturam esse salua debet. Si filius patrem & matrem quos venerari oportet, contumeliis afficit, vel impias manus eis infert, præfectus vrbi delictum ad publicam pietatem pertinēs pro modo eius vindicat. Indignus militia iudicandus est qui patrem & matrē à quibus se educatum dixerit, maledicos appellarit.*

### Interpretatio.

*De obsequiis, &c. Si libertus obsequium & honorem præstare debet patrono ne* C. de Obseq. patron. præst.

*ingratitudinis insimuletur, tanto magis parentibus eadem filij debent quanto plus est vitam à parentibus accepisse, quàm à patronis libertatem. Quæ licet* [a] *inæstimabilis res sit, tamen nec ea dari, nec data retineri sine vita potest. Itaque* [b] *Pythagoras & [c] Phocylides, primum Deos, postea verò nostros parentes venerari nos iubent: id quod etiam multis ante annis lege* [d] *Mosaica cautum fuerat, & exinde* [e] *Euangelio. Quod autem obsequium, & quam reuerentiam patronis debuerint liberti ex eo cognosces, quod ad hunc modũ rescripsit Imperator.*[f] *Venia edicti non petita patronũ seu patronam, eorumq́ue parentes, & liberos, hæredes insuper etsi extranei sint, à libertis seu liberis eorum non debere in ius vocari, ius certissimum est, nec in ea re rusticitati venia præbeatur, &c. Et alibi: Si* [g] *perfectis donationibus in possessionem inductus libertus, quolibet tempore ea quæ sibi donata sunt, pleno iure vt dominus possederit: tamen si ingratus sit, omnis donatio, mutata patronorum voluntate reuocanda est, &c. Quin adeò* [h] *diuus Claudius libertum qui probatus fuerat patrono delatores submisis-*

a L. non est. §. in finita. ff. de reg. iur. & l. libertas eo. tit. & instit. quib⁹ ex ca. ma. & c. §. sed cum libertas.
b In carminib⁹ aureis.
c In poëmate admonitorio.
d Exo. 21.
e Matth. 15. c.
f L. venia. C. de in ius vocan.
g L. & si. C. de reuoc. donat.
h L. diuus Claudius. C. de iur. pat.

se qui de statu eius facerent ei quæstionem, seruum patroni esse iussit. Cæterum totus hic titulus ad pietatem pertinet, & maioris est ponderis quàm illud paradoxon quo i Gellius colligit non esse obsequendum patri. Sic enim inquit, Aut rectè imperat pater, aut perperam. Si rectè imperet, non, quia imperet, parendum, sed quoniam id fieri ius est, faciendum est. Si perperam, nequaquam scilicet faciendum quod fieri non oportet, nunquam est igitur patri parendum quæ imperat, &c.

i Gell.lib.2.c.7

Etiam militibus.

Si pietatis ratio in parentes constare debet etiam militibus (qui solent esse crudelissimi, nec ob k armorum strepitum, legũ vocem audire) quanto pientiores paganos esse decet? Videtur itaque Vlpianus argumentari à minori ad maius.

k Imperator l. fi.C.de iur.deli. ait sacratissimũ legislatoré existimauisse arma magis quàm iura militibus cognita esse.

Pietatis ratio.

Pios in parentes filios esse decet. Sed esse vicissim debet patria potestas in pietate,

*non in atrocitate aduersum filios, ut ab imperatore* [a] *Adriano rescriptum est: qui patrē à quo filius in venatione occisus est (ob stupratam nouercam) in insulā deportauit.*

a L. inuidus. ff. ad. l. pompe. de parric.

## *In parentes.*

*Parentis* [b] *appellatione, non tantùm pater, sed etiam auus & proauus, & deinceps omnes superiores cōtinentur: sed & mater, & auia, & proauia.*

b L. appellatione parētis. ff. de verb. sig.

## *Si filius miles.*

*Tametsi plurimis gaudeat priuilegiis miles, nullis quidem potest à pœna liberari si fuerit in patrem iniurius. Sunt autem militis priuilegia ut* [c] *Reip. causa abesse videatur etiam cùm domi agit, ut moræ minorū in integrum restituatur, ut contrà* [d] *iuris solennitatem in procinctu* [e] *testetur, ut pro* [f] *parte testatus moriatur, ut ab ignorātia* [g] *iuris excusetur, ut si fidei alterius commiserit ut hæreditatem restituat, non possit fideicommissarius quartam retinere, & similia multa.*

c L. milites plane. ff. ex quibus ma. xxv. annis.
d Insti. de m. li. test.
e Instit. de test. ordi. §. primo.
f Hoc paganis non licet. l. ius nostrum. ff. de reg. iur.
g L. regula est. ff. de iuris & facti ignorātia, & l. fina. C. de iure delib.

*In patrem aliqua commiserit.*

*Longè is abest vt obsequium parentibus præstet qui vel verborum, vel factorum atrocitate patrem lædit. Porrò autem cùm passim negent intueri lucem* [h] *fas esse ei qui à se hominem alienum occisum fateatur, quàm graue facinus est vim inferre parenti, sanè vel ex Orestis exemplo liquet: qui cùm iustam (vt vult apud Euripidem Pallas) causam haberet necandæ matris Clytẽnæstræ quæ Agamennonem maritum ope Aegisti adulteri trucidarat, tamen ob id correptus est à furiis à quibus extricari nõ prius potuit quàm ad Tauricum Dianæ tẽplum peruenisset. In eundem modum furiis actus inducitur Alcmeon apud* [i] *Cicer.*

h Cic. pro Mil.

i Cic. li. 4. Aca. quæst.

*Sed mihi neutiq̃ cor cõsentit cũ oculorũ aspectu, etc.*

*Apud eundem sic alibi.*

*Videtísne* [k] *quos nobis poëtæ tradiderunt patris vlciscendi causa supplicium de matre sumpsisse, cùm præsertim deorum immortaliũ iussis atq; oraculis id fecisse dicantur, tamẽ vt eos agitẽt furiæ? neq; cõsistere*

k In orat. pro Sex. Rosc. Ame. &c. Qui & Suetoni' scribit Neronem sæpe cõfessum exagitari se materna specie, verberibus furiarũ ac tedis ardẽtibus ob id euocasse per magos, manes matris & tẽtasse exorare.

vnquam patiantur? quod ne pij sine scelere esse potuerunt, &c. Sed quid ego hæc de Oreste aut Alcmeone? quasi non sit minus sororem quàm matrem conficere? Attamen cum [a] M. Horatius occisis tribus Curiatiis, onustus spoliis Romam rediret, sororemque suam iniustè quærentem de cæde viri (vni enim ex Curiatijs nupserat) interfecisset, à duumviris causa cognita damnatus est, &c. Si tamen [b] aliquis filius in eo furore est vt continua mentis alienatione, omni intellectu careat, nec subest vlla suspicio matrẽ ab eo simulatione dementiæ occisam, possumus de modo pœnæ eius dißimulare, cũ satis furore ipso puniatur, vt diuus Marcus & cõmodus scapulæ Tertullio rescripserũt.

a Hæc ex T. Liuio.

b L diuus Marc°. ff. de of. pref.

Pro modo delicti.

Iuxta mensuram delicti debet esse plagarum modus. nam vt optimè ait [c] Marcellus, Respiciendum est iudicanti ne quid aut durius, aut remißius constituat quàm causa deposcit. nec enim aut seueritatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso iudicio prout quæque res expostulat sta-

c L. Respiciendum. ff. de pœnis. huc referri potest quod de imagine iustitiæ ex Chrysippo refert Gel. li. 14. c. 4. & Cic. epist. 2. ad Brutũ.

*tuendum est. Planè enim leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent, in grauioribus pœnis seueritatem legũ cum aliquo temperamẽto benignitatis subsequi, &c. Huic sentẽtiæ eleganter astipulatur* [d] *Vlpianus. Itaque Stoicos qui omnibus delictis pares pœnas infligunt, meritò ridet his versibus Horat.*

d Vid. l. cõgruit. ff. de off. pręf. prouin. & l. primam. ff. de off. præf. vrb.

e *Nõ vincet ratio hoc, tantundem vt peccet, idemque*
*Qui teneros caules alieni fregerit horti,*
*Et qui nocturnus sacra diuum legerit. adsit*
*Regula peccatis quæ pœnas irroget æquas:*
*Ne scutica dignum horribili sectere flagello, &c.*

e Hor. saty. 3. li. 1. At Cic. in Paradoxis, partes Stoicorum tuetur.

*Puniendus est.*

*Puniri solent quatuor, vt ex Claudij responso liquet. Sic enim* [f] *ait. Aut facta puniuntur, vt furta, cædésque. Aut dicta, vt conuitia, & infidæ aduocationes. Aut scripta, vt falsa, & famosi libelli. Aut consilia, vt coniurationes, & latronum consciẽtia; quosque alios suadendo iuuisse, sceleris*

f L aut facta. ff. de pænis.

*est instar. Sed hæc quatuor genera considerandá sunt septem modis, causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu, &c. Apud* [a] *Aul. Gell. reperiũtur tres causæ puniẽdi. Prima dicitur monitio, quæ adhibetur emendandi gratia, vt qui fortuito deliquit, attentior fiat, correctiórque. Secũda, vt dignitas & amplitudo læsi vindicetur. Tertia, paradigma dicitur, cùm ob exemplum est necessaria, vt metu* [b] *pœnæ cæteri terreantur. Plato* [c] *duas tantum ponit. Vnam commonitionis, Alteram animaduersionis. Vide* [d] *Alexand. ab Alexan. Et cum eo Flaccum Horatium, cuius hæc sunt verba,*

a Gel.li.6.c.14.
b L.si quis forte.ff. de pœnis.
c Plato in Gorgia.
d Lib.3.cap.5.

*Auidos vicinum funus vt ægros*
*Exanimat, mortísq; metu sibi parcere cogit*
*Sic teneros animos aliena opprobria sæpe*
*Absterrent vitiis, &c.*

*Sed enim possunt (vt est apud eundem* [e] *Gell.) esse grauiores causæ vt ab infligenda pœna temperemus. Nimirum quando aut spes magna est vt is qui peccauit, citra pœnam ipse sese vltro corrigat, aut spes cõtrà*

e Lib.6.c.5.

nulla est emendari eum posse & corrigi, aut iacturam dignitatis in quem peccatum est, metui non necessum est, aut non id peccatum est cuius exemplo necessario metu faciendum sit. Tum quidquid ita delictũ est, non sanè dignum esse imponendæ pœnæ studium visum. In quam sententiam descendisse videtur Chrysippus qui in pueros animaduerti non probauit.

*Inter collibertos martem & filiũ.*

Satis inter Iurisconsultos [f] constat masculinum genus concipere fœmininum. Sunt autem colliberti qui ab eodem domino (cuius serui fuerunt) libertate donati sunt. Horum autem & nõ seruorum meminit, quia cognatio est inter collibertos, atque ob eam rem debet stare inter cognatos ratio pietatis. Quod [g] verò attinet ad ius ciuile serui pro nullis habentur, quoniam [h] seruitutem mortalitati ferè comparamus. Si tamen naturam spectes quæ [i] omnes genuit liberos, tu quæcunque libertis & ingenuis ascribis, cogeris seruis ascribere.

f L. verbũ hoc. ff. de verb. sig. & l. 3. ff. de neg. ge. & l. pronuntiatio. de verb. sig.

g L. Quod attinet. de reg. iur.

h L. Seruituté. ff. eo.

i Initio tit. de libertinis in instit. Imper. & in fine. l. quod attinet. ff. de reg. iu.

*Secundum naturam.*

a Cic.in 1. Off. & dialo.de leg. & finib.

*Qui* a *ducem naturam sequitur neq; aberrat, neque gerit se alium quàm pientissimum, quum natura non modò hominum mores rectè componat, sed etiam doceat feras obsecundare parentibus. Itaque diligenter cauendū est ne homo à parente audiat,*

*Mitius inueni quàm te genus omne ferarū:*
*Mitius ingenium debet an esse feris?*

*Vel impias manus infert.*

b Vide Insti.titu.de publ. iud. §.alia.

*Asperrimum* [b] *crimen est vim parentibus inferre. Quamobrem illud noua pœna persequitur lex Pompeia de parricidiis: qua cauetur vt si quis parentis aut filij, aut omnino affinitatis eius quæ nuncupatione parentum cōtinetur, fata præparauerit (siue clam, siue palam id ausus fuerit) nec nō is cuius dolo malo factum est, vel conscius criminis existit, licet extraneus sit, pœna parricidij puniatur, & neque gladio, neque ignibus, neque vlli alij solenni pœnæ subiiciatur, sed* [c] *insutus culleo cum cane, & gal*

c Vide Iuuen.

*lo gallinaceo, & vipera, simia, & inter eas ferales angustias comprehensus, (secundum quod regionis qualitas tulerit) vel in vicinum mare, vel amnem proiiciatur, ut omnium elementorũ vsu viuus carere incipiat, & ei cælum superstiti, & terra mortuo auferatur, &c. Hæc quidem omnia eleganter, sed multo elegantius apud* [d] *Ciceronem reperias vnde fuerunt emendicata.*

sat.8. qui in Nerone ita inuehitur libera si dentur populo suffragia, quis tam perditus vt dubitet Senecam præferre Neroni?cuius supplicio non debuit vna parari simia, nec serpés vnus, nec culleus vnus par Agaménonidæ crimen, &c.

d Cic. in orat. pro Sext. Rosc. Amər.

## *Præfectus vrbi.*

*Vlciscendis* [e] *impiorum flagitiis præficitur præfectus vrbi, vt ab Vlpiano memoratur ad hunt modum. Omnia omnino crimina præfectura vrbis sibi vendicauit nõ tantum ea quæ intra vrbem admittuntur, verum ea quoque quæ extra vrbem, intra Italiam, vt epistola diui Seueri declaratur, &c. Est igitur præfectus vrbi iudex criminalium, vt prætor vrbanus ciuilium.*

e L.1.ff.de off. præf. vrb. vide Fenestellam de magistra. Ro.

## *Delictum.*

*Delictorum quædam priuata sunt, quædam publica: illa priuatis, hæc publciis iu-*

*diciis puniũtur, illis leuiores, istis grauiores pœnæ solẽt irrogari. Illis prætor, istis præfectus vrbi præfuit. Iuris doctores ex responso* [a] *Vlpiani, delictum generale, vocant nominatum, quod certa appellatione, plurima eiusdem naturæ crimina complecti potest, vt furtum, homicidium, falsum. Speciale,* [b] *innominatum vocant: vt quum quis in ius vocantibus non paret, cũ temerè appellat, cùm ius dicentem contemnit,* [c] *cũ in munere sibi imposito per desidiam cessat, &c. differt autem delictum à peccato, quòd propriè delictum sit, cùm non fiunt quæ fieri debent. Peccatum, cùm fiunt quæ fieri non debent.*

[a] L.aliud.§.inter mulctam.ff. de verb.sig.

[b] L.3.C.de episco.aud.

[c] C.de sport.l.3

## *Ad publicam pietatem.*

*Expedit* [d] *Reip. ne flagitia remaneãt impunita: Nam quanto impunitius delictum, tanto fit effrenatius, quoniã nisi fuerit vindicatum, innoxios proposita impunitatis spes, mortalium animos criminibus inuitat. Vt non sine causa censuerit Cato lapidibus obruendos magistratus qui de improbis pœnas non sumunt. Itaque Respub. duo-*

[d] L.Ita vulneratus.ff. ad l. aquil.

*bus constare videtur. Præmio & pœna. præmio quidem: Nanque vt ait* [c] *poëta.* c Iuuenalis.

*Quis virtutem amplectitur ipsam*
*Præmia si tollas? &c.*

*Verè enim alius.*

f *Gratis pœnitet esse probos.* f Ouidius.

*Pœna verò, quoniam non tam obsunt vbertati frugum sentes, & tribuli, quàm lædunt probos flagitiosi. Itaque vt Apes.*

g *Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent* g Virgil. in 4. Georg.

*Sic istud sceleratorum.*

h *Immedicabile vulnus* h Oui. in Met.
*Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur.*

*Alioqui verè scripserit Satyrographus.*

i *Dedit hanc contagio labem,* i Iuuen. saty. 2.
*Et dabit in plures, sicut grex totus in agris*
*Vnius scabie cadit & porrigine porci*
*Vuaque conspecta liuorem ducit ab vua.*

*Pro modo.*

*Aequius tamen est vt non tam pro modo: quàm infra modum puniamus. Nanque vt ait* [a] *Hermogenes, interpretatione legum, Pœnæ molliendæ sunt potius quàm exaspe randæ. Quo nomine laudatur M. Antonius philosophus, cui mos erat omnia crimina minori supplicio, quàm legibus plecti solent, punire.* [b] *Homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quàm salutem hominibus dando: nulla re propius accedunt, quàm salutem hominibus dando: nulla re vicinius ad feras quàm feritate. Quod cùm optimè nosset Iulius Cæsar clementia se etiam hostibus amicum, quàm vltione odiosum esse maluit, exẽplo Iouis optimi cuius quum* [c] *dextera fulmine armetur, fulmen tamẽ in montes & maria potius quàm in homines torquet. Nempe*

[d] *Si quoties peccẽt hoĩes sua fulmina mittat*
*Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.*

*Et profectò qui veloces sunt ad effundendum sanguinem non magis probari possunt quàm illa Flaminij meretrix quæ inter delitias habuit crudelem ludum carnificis hominem iugulantis.*

a L. Interpretatione. ff. de pœnis. Idẽ vult Paulus. l. factum. §. in pœnalib⁹. ff. de reg. iur. & Vlpa. l. capiẽda est, & l. in omnibus. ff. de reg. iur.

b Cic. pro Lig.

c Pli. li. 2. na. hi.

d Ouidius.

*Indignus militia, &c.*

*Exauthorari cum ignominia debet ab Imperatore, & insignibus militaribus spoliari. Hic autem subest epiphonema.*

*Maleficos appellarit.*

*Petulantiam filiorum in parentes adeò repressam esse voluerunt antiqui, vt etiam si iniuriam à parẽtibus accepissent, eam tamen ferre potius quàm referre coëgerint.*[e] *Itaque qui in potestate patrum agunt, aduersus eos experiri non possunt. Et emancipati non aliter agunt quàm edicti venia petita: Præterea si sine causa à parentibus iniquè exhæredati, vel præteriti sunt, non tamen* [f] *parentum testamentum tanquam nefarium improbare possunt, sed quasi non satis ex officio pietatis conditum ab his qui tum cum conderent, non erant satis apud se. Non ergo conuitiari sed* [g] *modestè ostendere debent quare exhæredari vel præteriri non debuerint. ex quo liquet quàm impiè fecerint filij Artaxerxis regis Persa-*

e L. qui in potestate. C. de in i° voc.

f L. 2. ff. de inof. test. & inst. eod.

g L. 3. ff. de inof. test. & l. nam & & iis. §. hui°, eo. titu.

*rum cum de interficiendo parente conspirarint. Quàm sceleratè L. Hostius qui patrem morti dedit. quàm nefariè Malleolus qui matrem trucidauit. Vt interim Neronem* a *(monstrum nulla virtute redemptū à vitiis) reliquósque parricidas non memorem.*

a Vide Suet.

## PERORATIO.


*Habes (Antistes egregie) mnemosynon meæ erga te singularis obseruãtiæ: Quod cum alij plenũ festinationis & pulueris videbunt, dicent non laturum ætatem. Equidem nec in eum finem euulgaui. Imò adeò cito (vt vinum fugiens) periret antequàm dari posset, aut quia qui cito dat, bis dat. Nec reformido ne rusticè me fecisse putent, ego enim rusticos imitari malim qui præcocibus fructibus heros demerẽtur, quàm vrbium incolas, qui rebus putribus omnes passim fallunt.*

*Vale, & æqui consule.*

Deo gloria, & gratia.

# Minutiæ in l. Antiqui .ff. si pars hæreditatis petatur.

AMPLISSIMO VIRO, IO. Iac. Mesmio, Libellorum supplicum in Regia magistro, Leodegarius à Quercu, S.



Etsi non parui refert in offerendis muneribus spectare quo tempore dentur, tamen esse maior cura debet, in quē virum conferantur. Si enim ei largiaris qui vel non delectetur, vel non egeat, vel etiam delectando & egendo dignus non sit, tam id munus perit quàm ipsum quod maximè. Nam & qui non delectatur, contemnit: & qui non eget, recusat: & qui indignus est (licet benignè accipiat) non meretur. Ego autem hoc xeniorū tēpore cū vltro citroq; munera mißitētur, opportunè quidē darē, & digno, si tibi. Sed non est perinde dignū tua dignitate quod nūc à me poßit offerri. Neq; etiam is es qui vel delectari vel egere poßis hisce meis in iure minutiis. Itaque fluctuat animus, nec

*cur non det, nec quid det habet. Verũ cũ minus in eo sit beneuolẽtiæ qui omnino nil det, quàm si quisquilias, malim in eã inclinare partẽ vt beneuolus videar dãdis quisquiliis quàm subrusticus nihil dando. Olim ille omni re magnus Alexander cũ talenta quinquaginta Perillo daret, Perillúsq; respõdisset decẽ satis esse, tibi quidẽ (inquit Alexander) satis est decẽ accipere, mihi tamen nõ est satis decẽ dare. At verò Mesmi doctissime neq; mihi satis est, si quantũ queã dedero, nec tuæ quoq; virtuti satis esse debet nisi quantũ meretur acceperit. Dabat Alexander maxima paruis, ego parua maximo. Ille quàm magno animo daret nõ habeo cõpertũ. Sed ambitiose dedisse cõpertissimũ. Ego nec animo maiore, nec minore ambitione meã erga te voluntatẽ testificari possum. Quòd si tã cumulatus essẽ disciplinis, quàm Alexander pecuniis, honestiora nunc à me xenia acciperes, quàm ab illo Perillus. Sed cũ munera sint similia Margaritarũ vt tãti valeant quãti æstimentur, in tua sitũ est volũtate vt hæc quæ villissima sunt, maxima fiãt, si maximi voles æstimare. Vale. Tolosæ, Cal. Ian. 1547.*

## PAVLVS AIT.



*Ntiqui libero vētri ita prospexerunt, vt in tempus nascendi, omnia ei iura integra seruarēt: Sicut apparet in iure hæreditatū, in quibus qui post eum gradum sunt agnationis quo est is, qui in vtero est, non admittuntur, dum incertum est an nasci possit. Vbi autem eodem gradu sunt cæteri quo & venter tunc quæ portio in suspenso esse debeat, quæsierunt. Quia non poterāt scire quot nasci possunt, ideo quòd multa de huiusmodi re varia & incredibilia tradūtur, ut fabulis annumerentur. Nam traditum est, & quatuor pariter puellas à matrefamiliâs natas esse: Aliqui tradidere nō leues authores quinquies quaternos enixam Peloponensem & multas Aegypti uno utero septenos. Sed & tergeminos senatores cunctos vidimus oratores. Sed Aelius scribit se vidisse in palatio liberam mulierem, quæ ab Alexandria perducta est vt Adriano ostenderetur cū quinq; liberis, ex quibus quatuor eodē tempore enixa dicebatur, quintū, post quadra-*

*gesimum diem. Quid ergo? prudentißimi iuris authores medietatem quandam sequuti sunt, vt quod fieri non rarò admodũ potest intuerentur, id est, quia fieri poterat vt tergemini nascerentur, quartam partẽ superstiti filio aßignarũt to gar hapax i dis (vt ait Theophrastus) parauenousin hi nomothete: Ideoq́; & si vnũ paritura sit, non ex parte dimidia, sed ex quarta interim hæres erit.* i. quæ enim semel aut bis acci dunt cõtemnũt legislatores.

## *INTERPRETATIO.*

*HAEreditas (quæ* [a] *nihil aliud est quàm succeßio in vniuersũ ius quod defunctus habuit tẽpore mortis) ad homines pertinet, vel ab intestato, vel ex testamento quod* [b] *iure factum est. Sunt autem quidam ex asse, quidam ex parte hæredes: Illi hæreditatem totam, hi partem hæreditatis* [c] *duntaxat vendicant. Cæterum titulo superiore prætor actionẽ proposuit eis qui ad se solos hæreditatẽ pertinere contendebant. Nunc verò eis qui partem hæreditatis petunt. Quo in negotio vsu videmus veni re vt partis petitor aliquãdo sit de iure suo certus, aliquando animi pendeat, id quod*

a L. nihil aliud. ff. de ver. sig. & l. hæreditas. ff. de re. iur. tamen Cic. in Top. paulo diuersius definit.

b L. hæreditas. ff. de peti. hære.

c L. prima. ff. si pars hæred. pet.

*Pecuuliare est iurisconsultis vt continens pro contento vsurpent per synecdochem.*

*Quot nasci.*

*Possunt enim e plures vno vtero, vt etiam alibi Paulus ex Sabini & Caßij sententia censuit.* e L.Sed & si.5. si paterfamiliâs ff.de iudiciis.

*Fabulis.*

*Verè iudicatū: Multa enim sunt apud f Plinium (à quo bonā partem huius legis Paulus mutuatus est) quæ fidem excedunt, vt cū ait Caßini puerum factum ex puella & puellam, nuptiarum die mutatā in masculum. Et Arescuntem cui nomen Arescusæ fuisset nupsisse etiam, mox barbā & virilitatē prouenisse, vxoremq; duxisse. Multa que generis huius, quæ nō sunt huius loci, in quibus non magis verax quàm mēdacij pater Herodotus.* f Pli.lib.7.c.4.

*Quatuor:*

*Admirabilius est quod memorat Guilielmus Benedictus g sese legisse in mari historiarum gallico, secundo volumine, cap. 16. vbi, inquit, Chronica narratur Henrici Imperatoris, quòd Margarita comitissa Holandiæ pro eo quòd de mulieribus* g In repet.capi. Raynutius,ext. de testa.

truffabatur vltrà vnum parientibus, pertinaciter asserens impossibile esse mulierem duos habere pueros simul ab eodẽ patre conceptos, Anno domini millesimo ccc.xiij. regnante Philippo Pulch. in Frãcia in punitionem talium verborum, velut calumniosa naturæ accusatrix, simul concepit, & vivos peperit trecentos sexaginta tres liberos sicut paruos pullos, qui omnes fuerunt baptizati, &c. Vt ego huius scrofæ fœcunditatem sine risu non possum audire, ita nec illius in quã salsissimè lusit Martialis.

Mulier 363 vno partu peperit.

Martialis.

*Est fœcunda mei, fœcũda est vxor Arati,*
*Nempe suo peperit ter sine fœta viro.*

a Cæl.lib.4.c.23

Cæl.a Rhod. ex Alberti Magni sententia, scribit mulierẽ quandam in Germania configuratis cõformatísque iam in vtero duorum & viginti infantiũ corpusculis abortum fecisse. Aliam verò etiam septuaginta. Imò vt amplius increscat admiratio aliam etiãnum eiecisse in peluim embryunculorũ auricularis digiti magnitudine corpuscula centũ & quinquaginta: Cuius rei facta fides est tuniculis (quibus obuoluebantur) conscissis: Addit quoque pluribus eorũ adfuisse dilatationis & cõstrictionis motũ,

*& signa alia vitæ complura, oculis tamen imperfectioribus, manuum verò & pedũ digitos fuisse veluti capillares. Meminit etiam Erasmus prodigiosi fœtus in suis anno tatiunculis in nucem Ouidianam. Plinius*[b] *tradit, extare in monumentis medicorum (quibus talia consectari curæ fuit) vno abortu duodecim pueros egestos: huc referri potest quod Aul. Gel.*[c] *scribit diuo Augusto imperante Ancillam in eius agro laurente peperisse quinque pueros, qui pauculos dies vixerunt, matriq́ue monumentum factum iussu Augusti in via Laurentia in quo scriptum fuisse cõstat numerum puerperij: Zasius*[d] *testatur (Sed quàm verè viderit) sororem honestißimi viri cuiusdam, duodenos uno partu edidisse viuos. Et tamẽ Caius iurisconsultus ait*[e] *portentosum esse vltra tres nasci. At Solinus refert Faustam quandam ex plebe quatergeminos edidisse.*

b Pli. c. 11. lib. 7

c Gel. li. 10. c. 2.

d In l. antiqui.

e L. Vtrum ita. ff. de re. dub.

*Non leues authores.*

*Intelligit Plinium*[f] *apud quem paulo diuersius legitur ad hunc modum. Reperitur & in Peloponnes. quinos quater enixa, maioremq́ue partẽ ex omni eius vixisse partu.*

f Lib. 7. cap. 3.

*Peloponnesiam.*

*Fallitur glossematarius, existimans esse nomen mulieris cũ epitheton sit indicans mulierem ortam esse ex Peloponneso, regione Græciæ, quæ hodie à Venetis vocatur Morea.*

*Aegypti.*

a Vide Solinũ.
b Lib.10.c.54.

*Nam [a] potus Nili non solũ arua, sed etiam ventres fœcundare creditur, qua in regione (authore [b] Plinio) Oua sine incubitu excluduntur.*

*Septenos.*

c Lib.10.c.2.

*Aristoteles (vt etiam refert Gellius) [c] memoriæ prodidit nunquam compertum esse plures nasci uno partu quàm quinq;: Et hũc numerum esse rarißimum.*

*Functos:*

d In Rub. de mil.test.instit. impera.
e Horat.in arte poët.

*Viglius [d] (quod ante etiam eum censuerat Accursius) legẽdum censet, cinctos quoniã (vt inquit) Milites iubebantur esse cincti vt essent expeditiores. Ego verò vt facilè concesserim Viglio cĩctos fuisse milites, veluti ex [e] Horatio liquet. Fingere cinctutis*

non exaudita Cethegis. Ita quoque non fatebor hîc agi de militibus, sed de senatoribus ac ideo esse legendum cincios: quod est dignitatis cognomentum, vt multi nobiles sunt appellati: Et profecto in dictione cinctos si abscindas apicẽ literæ t, videbis remanere litram i, & ita inuenies cincios,

Orateores.

Budæus legit Horatios, sed locum accipit de aliis Horatiis quàm de quibus locuti sint Liuius & Plinius: id quod vel mediocriter doctis constat: Nam Paulus qui sub Alexã dro floruit non potuit videre Horatios qui sub rege Tullo hostilio congressi sunt cum tribus Curiatiis. Itaque cum vetustis exemplaribus malim legere oratores.

Aelius.

De nullo triũ Aeliorũ põt accipi locus hîc: Nã P. Aelius (qui à lasciuia oculorũ dictus est Petus, & eius filius Sextus Aelius (quem Ennius catũ) hoc est sapiẽtẽ uocat hoc uersu Egregiè cordat⁹ hõ Cat⁹ Ael. Sextus. Quẽ

*ſcriptum eſt copioſè & eleganter à Plinio* [f] *& ab Ariſtotele.* [g] *Veruntamen diuus Auguſtinus* [h] *negat mulierem quæ ſemel conceperit poſſe iterum ſecundo conceptu vterum gerere.*

f cap.xj.lib.vij.
g lib.iij.de generatione animalium.
h l.in lib.de ciuitate.

*Medietatem.*

*Sanè cùm hinc inde rationes ſunt æquales, tum eſt optimum ſequi mediã viam. Atque ita Paulus* [i] *ſcribit ſeſe multis in cauſis feciſſe, ſed ſi maior ratio in alteram partium nos rapiat, erimus in eam propenſiores, vt etiam Paulus* [k] *& Iuſtinianus* [l] *imperator voluere. Et profectò ſemper tutiſſimum fuit, ſequi maiorem partem, ex eo enim quòd maximas partes continet, latiſſiméque funditur, tota res appellatur, dicimus aliquem (inquit* [m] *Cicero) hilarè viuere, igitur ſi ſemel triſtis effectus eſt, hilara vita amiſſa eſt? At hoc in eo M. Craſſo (quem ſemel in vita ait riſiſſe Lucilius) nõ contigit, vt ea re minus agelaſtus vocaretur. Polycratem* [n] *Samium felicem appellant, quòd nihil acciderat ei quod nollet, niſi quòd annulum quo delectabatur, in ma-*

i L.Filio vel ſeruo.ff.vt leg. no. cau.
k L.Neſennius ff.de neg.geſt.
l Tit. quib⁹ ex cau.ma. non licet.§.fi.
m Cic.v.de finibus, & v.Tuſcul..
n Vide Herodo.lib.iij. & Valerium lib.vj.

re abiecerat. Ergo infelix vna molestia: felix rursus, cùm is ipse annulus in præcordiis piscis inuentus est. Ille verò si insipiēs, quòd certè quoniam tyrannus, nunquam beatus. Si sapiens ne tum quidem miser, quum ab Aronte prætore Darij, in crucem actus est.

Non rarò.

a L. Vtrum ita. ff. de re. dubiis.

Caius [a] tamen ait oppositum, scilicet esse portentosum si tres nascantur.

Tergemini.

b L. Ter enixa. ff. de verb. sign.

c L. Arethusa. ff. de stat. ho.

Si tergemini nascantur, tum mulier ter enixa videri [b] potest, nihilque refert diuersis temporibus, an vno vtero tres peperit, cùm enim non eodem nixu plures infantes nascantur, sed [c] vnus post alium, proprietas verbi hanc interpretationem necessario recipit, quæ autem priuilegia concessa sint mulieri quæ tergeminos edidisset, tradunt Eusebius & Tranquillus.

Quartam.

*Libens intelligerem cur quartam dũtaxat partem, & non totum assem soli iam nato concesserint iurisconsulti? An quòd quarta certò ei debeatur? At vt ex lege [d] sequenti liquet, refundet eam si plures, quàm tres nascantur: An quòd ad eam non spectet? At si pauciores nati fuerint, residuum ei pro rata accrescet, si nulli, totus as eius erit. Aut cur (vt voluisse videtur Iulianus) non aßignarunt sextam partem? quoniam quinque nasci possunt, authore Aristotele, cùm mulierum Vuluæ tot habeant receptacula, vt refert [e] Iulianus. At credo datam quartam ob incertitudinem nascendorum. Rursum non datam sextam ob infrequentiam quinque partuum vno vtero.*

d L. et si. ff. eod.

e L. si pater. ff. de sol. & lib.

## *Ait Theophrastus.*

*Sumptum est [f] hoc ex lib. Teophrasti de legibus, qui temporis iniuria perierunt. Porrò eadem sentẽtia Theophrasti bis repetita est initio libri primi Pãdectarum, [g] quam & vsurpauit Iulianus hisce verbis. Ea quæ raro accidunt non temere in agendis negotiis*

f L. iura constitui, & l. nam ad ea. ff. de leg. & sena.

g L. ea quæ. ff. de re. iur.

*computantur. Itaque Solon (vt refert Cicero) [a] nullum supplicium constituit in eum qui parentem necasset: quia neminem id facturum putauerat. Sed de communiter contingentibus tulit ne tam prohibere, quàm monere videretur.*

a Cic.in orat. p Rosc. Amer.

*Nomothetæ.*

*Huc spectat dictum Theophrasti, vt intelligamus rarissimos casus, & impossibilibus similes, qui vel semel, vel infrequentissimè fiunt [b] non considerari: vna enim hirundo non facit ver, sed eos considerari qui licet rarò fiant, non tamen admodum rarò fiunt. Porrò nomothetæ hîc accipi debent nō pro iurisconsultis, sed pro his qui principaliter leges promulgant, quales apud nos sunt, Cornelius Sylla, qui legem Corneliam tulit, Iulius, qui Iuliam, Pompeius, qui Pompeiam: Apud Græcos Lycurgus, Minos, Solon, draco: Nam iurisconsulti nō sunt nomothetæ, sed legum interpretes.*

b In auth. vt sine prohi.mat. §.quia verò, & l.ex hic.ff. de ll. & senat. & l.ea quæ. ff. de reg. iur. & l.iura, & l. nam ad. ff. de ll.& sen.

## *PERORATIO.*

*Fateor eſſe pauciora quàm debuere, & peiora quàm tibi iſta grauitate viro nuncupari debuerint. Pluribus verò vti non licuit, quod ab aliis iam eſſent prærepta. Quòd ſi in his meis velut ſpicilegiis parum ſit bonæ frugis, Sanè multum eſt animi boni.*

Deo gloria & gratia.

# Altera præfatio, qua

*LEODEGARIVS A QVERCU vsus est, cùm iterum publicè profiteretur apud Lutetiam institutiones ciuiles.*



*Onstitutum apud me fuerat (auditores) cùm ad vmbilicum duxissem ciuiles institutiones nunquã publicè interpretandas suscipere, nõ quòd inde mediocrem professor laudẽ, aut auditor modicam frugẽ colligeret, sed quòd eandem aßiduè incudem tundere, videatur esse hominis qui vnam cantilenam norit: Neque tam sit miser apud inferos Ixion quum se sequi turque fugitque, quàm ridiculus apud Lutetiã professor, cuius labor actus in orbem: Sed quum in mentem subisset, nũquam satis doceri, quod nunquam satis discitur, quumque adulescentes aliquot nobiles, quibus mea (vt fingebant) docẽdi perspicuitas probabatur, sæpius à me contendißent, vt priuatim iuris elementa trade-*

*rem, neque vellem in paucos multas vigilias transfundere, tandem eò sum adductus, vt iterum vias quæ ad legum peritiam ferrent, palàm monstrarem, sequutus exemplum Hipparchi, qui quum eadē crebro theoremata suis ciuibus inculcasset, idem columnas in singulis vrbis triuiis erexit, quibus inscriberet, quæ iā sæpius docuerat. Itaque quis tandem (si de rebus rectè iudicat) illud mihi vitio verterit quod Hipparcho laudi datur? Nisi forsan Hipparchi syderalem disciplinam (qua facilè careamus) anteponat iurissapientiæ, quam ad salutem ciuium, ciuitatumque incolumitatem, vitamque hominum & tranquillam & beatam inuentam esse Cicero scribit: quam igitur scire fructuosum, eam docere quis inutile censuerit? Si veteri prouerbio monemur repetendum bis ac ter quod pulchrum sit, quis ita delicatus vt molestè ferat iterari legalem Isagogem, quæ quia pulcherrima decies repetita placebit? Vt enim eiusdē amasiæ conspectus frequēs, venerios oblectat, sic disciplinæ, quæ præ cæteris amari debet, nulla capit satietas: Nam & quæ iam didicerunt studiosi, iucundè recordantur, & quæ principio nō intellexerūt, pòst assequuntur, & quæ sunt obliti, refigunt a-*

*leriter traduntur, nihilo plus prosunt, quàm pharmaca quæ interius non insistunt: quæ autem tardè, necant tædio: Itaque si inter vtrũque volem medio gratissimus ibo, & vestris commodis inseruire, quàm maximè, iudicabor. Cæterùm iuris sacrum limen ingressurus addubito, vtrum ab illius encomio principium mihi sumendum sit, an statim quod instat agendum. nam si commendem, dicetis idem mihi quod olim Antalcidas sophistæ cuidam laudanti Herculem, quid tu rem effers laudibus quam nemo vituperat. Sim à laude tẽperem, mirabimini esse me in ea re pigrum, in qua Ciceronem adeò diligentem videtis: qui neque naturalis, neque pontificij, neque ciuilis iuris præcepta tribus dialogis ante attigit, quàm amplissimas cuiusque laudes: Et me vt parum in iure versatum ridebitis, qui ne illud quidem animaduerterim quod principio Pandectarũ Caius ad hunc modum: Si, inquit, in foro causas dicentibus nefas esse videtur, nulla præfatione iudicij rem exponere, quantò magis interpretationem promittentibus inconueniens erit omissis initiis quasi illotis manibus protinus materiam interpretationis tractare? Nam (nisi fallor) ipsæ præfationes & libentius nos*

ad lectionem propositæ rei perducunt, & cùm eò venerimus eius, euidentiorem præstant intellectum, &c. Hæc ita verè Caius, vt omnes in suam sententiam quasi bubalos naso trahat: cum reliquis igitur sequar ne trahentem? facerem libens, si humana mea industria, rei tam diuinæ posset vlla ex parte respõdere: sed Mercurium esse oporteat, qui celebrandæ iurisprudentiæ par eße poßit, quum inter reliquas artes obtineat principatum, siue enim illius ortum spectes, senior est quàm ætas populorum, & ciuitatum: siue dignitatem, sic illa magistratibus præest, vt magistratus populo: siue vtilitatem, sine illa, nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Itaque aliæ artes obiter & in transcursu, hæc seriò & semper discenda: aliæ linguam poliunt, hæc mores cõponit, aliæ nummos comparant, hæc cum nummis gloriam, aliarum theatrum est suggestus, huius est curiæ tribunal: aliæ sunt tanquam gradus, hæc ipsum fastigium: in aliis sentes, in hac rosæ, in aliis vmbra, in hac lux & veritas: aliarum scopus est placere, huius, prodeße. aliæ ab aliis emendicant, hæc suis contenta est opibus: vt

enim vna, omnium loco ſumatur in exemplum eloquentia, ſi tu eloquentiæ perito ſuſtuleris grammaticorum figuras, dialecticorum enthymemata, poëtarũ fabulas, philoſophorũ ſententias, tragœdorum vocem, hiſtrionum geſtus, & id genus cætera quæ ab omnibus mutuatur, ſpectabis magno cum riſu Horatianã corniculam furtiuis nudam coloribus. At nemo eſt hominum qui à iuriſapientia iuſtitiam repetat, quòd eius ſit propria. Huius igitur ſtudium qui non laudat, quid habet quod laudare poſsit? qui vituperat, nónne ornamentum patriæ pulcherrimum vituperat? Qua enim re tam illuſtres fuerunt Athenienſes & Romani, quàm iure? qua (contra) re tã ſimiles brutorum Sauromatæ & Barbari, quàm quòd iure non vterentur,

Si colitur pax, atque fides, victoria, virtus,
Quæque ſalutato crepitat concordia nido,
Quis eſt qui non nunc mecũ numẽ iuris adoret
cernuus? & ſupplex aris imponat honorem?

Præſertim cum nuſquam pax & concordia reperiãtur vbi iuri non ſit locus? Si iucunda vxor, ſi ſuaues liberi, ſi grati propinqui, ſi optati honores, ſi cupitæ opes, ſi patria dulcis, cur nõ ſit dulciſsimum ius ſine quo nihil horum tene-

*hac in parte vsui esse poßit, equidem vt totus impendatur omni mea cura, opera, diligentia prouidebo.*

*DIXI,*

Deo gloria, & gratia.

# Leodegarii à Quercu aliquot epigrammata.

NVPTIAE CARMEN IN GRATIAM Nicolai Hennequini iunioris.

Si quod coniugium cœptum duce & auspice Christo,
  Si quod diuinis exiit auguriis,
Si Fortunatum, si Faustum, si Hercule dextro,
  Si felix, si omni denique parte decens,
Tale tuum nobis (uir suspiciende) putatur:
  Aut etiam reliquis omine dexterius:
En immortales superi tibi ab æthere plaudunt,
  En tibi de terris gens moritura fauet:
Omnes certatim contendunt uiribus, ut te
  Officiis possint, demeruisse suis:
En Venus uxorem largitur, qua nihil usquam
  Pulchrius (& quod amas) castius & melius.
En iucundus Hymen thalamis felicibus instat,
  En nymphæ spargunt lilia, flora rosas:
En Charites rident, en Musæ carmina dicunt,
  En suauem pulsat lætus Apollo chelym:
En Satyri saliunt, se Fauni quercubus ornant,
  En Dryades cingunt fronde uirente comas,
En affert Diana feras, en Pallas oliuam:
  Grana Ceres, Bacchus nectar, & ambrosiam:

*Syluanus bacchas, calamos Pan, flumina Tethys,*
*Neptunus pisces, mel Rhea, Plutus opes.*
*Lætitiam Genius, Parcæ annos, Aeolus auram,*
*Iuno domos, Morpheus somnia, prata Pales,*
*Consilium Consus, fructus Pomona, iuuentam*
*Hebe, Mercurius uerba, Cupido sales:*
*Ecce tibi Ianus nectit cum coniuge pacem,*
*Et dat perpetuo fœdere posse frui:*
*Ecce tibi noctem producit iam Hesperus, & tu*
*Cum dulci Alcmena Iuppiter alter eris,*
*Ecce tibi præsto soboli Lucina creandæ*
*Ne genus hoc uestrum nobile dispereat,*
*Ecce grauem influxum cohibet Saturnus, ut uxor*
*Imbre Iouis fiat fertilis ut Danaë.*
*O quales abs te sperat Respublica natos,*
*Qui te tam uultu quàm meritis referent?*
*Si patrum in pueros abeunt cum semine mores,*
*Nascentúrne Numæ? tu quia Pompilius?*
*Si uerum dicunt, fortes à fortibus esse,*
*Et nasci ingenuos non nisi ab ingenuis,*
*Sanè Thelemachos fortes generabis ab ista*
*Penelope, qua non ulla mage ingenua,*
*Quam tu es sortitus fatali munere diuum,*
*Hoc ideo quod te coniuge digna fuit:*
*Aut potius quod tu tam casta coniuge dignus,*
*Solus cœlesti munere perfrueris:*
*Qua causa populus, proceres, & curia, sumpsit*
*Nunc festos habitus, purpureásque togas.*
*Nunc passim auditur dulcissima musica, passim*
*Cymbala cum cytharis, tympana cum lituis:*
*Nunc tuus ille pater senio, confectus & annis,*
*Cuius iamque pedem cymba Charontis habet,*

# Epitaphium Francisci Valesii Gal. Regis optimi.

*Astrologi memorant, subitò fulgere cometam*
*Sanguineum cùm rex optimus emoritur.*
*Mortuus est nuper regum sanctißimus, & non*
*Vllus in aëria parte cometa fuit.*
*Ergo habitum falsò sanctum dicas, uel habendum*
*Falsum, quod uerum fertur ab astrologis:*
*Falleris: emicuit, sed præ fulgore polorum*
*Non poterat cerni: tam micuere poli.*
*Sicut enim terris luctus, tenebræque uigebant,*
*Sic fuit in cœlo maxima lætitia:*
*Terra dolebat ob id quod sancto rege careret,*
*Cœlum gaudebat principe rege frui.*

## *Epitaphium Alani Huilletij legum professoris Tolosani.*

*Postquam Mercurij sydus fatale disertis,*
*Hoc anno uires duriter exeruit:*
*Parisiis omnes doctos occidit ad unum,*
*Quorum præ reliquis inclyta fama fuit.*
*Inde Tolosanos omnes ut perderet, unum*
*Huilletium doctis omnibus eripuit.*
*His, illisque fuit iactura grauißima, sed par:*
*Huilletius si par omnibus unus erat.*

Epitaphium Petri Bunelli.

Iliacos post heroës, Priamumque peremptum,
Inclytus Aeneas uenit in Italiam:
Prouida spondebant sedes ibi fata quietas,
Et Troiæ regnum deuuò constitui,
Pollicitis seruata fides, latioque potitur,
Sed prius afficitur cladibus innumeris,
Sic quoque Bunellus Francisco rege perempto
Nobilibusque uiris, ibat in Italiam,
Vt post tot casus, post tot discrimina rerum,
Tandem fas esset posse quiete frui.
Fit compos uoti, Ausonios peruenit ad agros,
Et felix fati sorte quietus agit.

# Elegia de obitu Iac.

TVSANI.

*FLeuerunt Daphnim nymphæ, pecudesq́; feræq́;,*
*Fleuerunt meritò, flendus & ille fuit.*
*Nanque suis decori uixit, ceu uitibus uuæ,*
*Ceu gregibus tauri, ceu seges omnis agro.*
*Post ubi sat pauit lætos armenta per agros,*
*Existens pulchro pulchrior usque grege,*
*Morte suos liquit, sui eum liquère uicissim,*
*Nec spes huic ab eis, spes nec eis ab eo.*
*Quandoquidē tumulus qui corpus Daphnis habebat,*
*Eius habet famam, quæ ut caro computruit.*
*At si Tusanum fleri cum Daphnide fas sit*
*(Qui cunctis rebus Daphnide maior erat)*
*Non modò deflerent nymphæ, pecudesque feræque,*
*Omnis & umbrosis ales in arboribus,*
*Non modò cum fluuiis pisces, cum margine stagna,*
*Cum musco fontes, cum scrobe gleba uetus,*
*Non modò cum specubus lapides, & marmora dura,*
*Si quid & in terris marmore durius est,*
*Denique mortalem mortalia non modò flerent,*
*Sed superi: si fas flere foret superis.*
*Porrò autem quid habet Tusanus flebile? nomen?*
*Nomen ei maius post fera fata datum.*
*Quòd si sarcophago concludere fata cupissent,*
*Sarcophago totus non satis orbis erat.*
*Flebilis esse potest ætas? quasi nulla putetur?*
*Annis plenus erat, plenus ut arte graui.*
*Atropos in senium seruasset, at ipsa senectus*
*Plena malis duris, durior est obitu.*

*Mors semel interimit, crebrò longæua senectus,*
*Mors finit morbos, curua senecta parit:*
*Mors est principium uitæ, mors meta laborum,*
*Mors animum soluit carcere, uita ligat.*
*Mors homines omnes contentos reddit abundè,*
*Vota explere uirûm uita caduca nèquit.*
*Forsitan obiicias quòd cùm mors plurima præstet*
*Commoda, Tusanum fecerit esse nihil.*
*Imò de nihilo heroem, ut tellure relicta*
*Felix in cœlos scanderet ætherios:*
*Hîc ubi sub pedibus nubes, & sydera cernit:*
*Hîc ubi cælicolas cum Ioue rege uidet:*
*Hîc ubi sumptorum merces datur ampla laborum,*
*Hic ubi uirtutis præmia iusta capit:*
*Nec prius hinc abiit quàm nobis proforet absers*
*Quantum dum præsens corpore profuerat,*
*Ingenij facunda sui monimenta reliquit,*
*Qualia non priscis cognita temporibus.*
*His nos instituit, (sed muta uoce) magistris,*
*Hi uice sunt eius: commodiore uia:*
*Nam dum Parisiis legeret, uix hora legenti*
*Fluxit, ne sociis muneris esset obex:*
*Nunc uerò scriptis libris legit omnibus horis,*
*Siue dies fastus, siue nefastus eat.*
*Insuper hæredem doctrinæ cum sibi sensit*
*Tornebum, hæredem fecit & hunc cathedræ.*
*Gratus uterque suis, quoniam per doctus uterque:*
*Dignus & hic cathedra, dignus & ille fuit:*
*Illo iactura nullus grauiore perisset*
*Iacturam sciret ni hic reparare grauem.*
*Viuit in hoc, ueluti uirgultis planta renascens,*
*Floret in hoc tanquam laurus odora comis.*

*Flete ergo Daphim nymphæ, pecudesque fereque,*
*Nemo Tusanum defleat indigetem.*

Ad Io. Fournium.

*Dum flerem proceres linguæ modò morte peremptos,*
*Fleuissem Vatablum, si modò flere satis,*
*Nam iactura fuit grauior caruisse Vatablo,*
*Quàm doctis, quos me flere dolenter, ais.*
*Sed quoties uolui flendo describere luctum,*
*Tum Vatabli nimius me dolor impediit,*
*Sic etenim dolui, sic fletibus ora rigaui,*
*Vt minimum abfuerit quin fierem Niobe:*
*Quapropter feci quod nobilis ille Thimantes,*
*Velaui luctum, pingere quem nequij.*

# Epitaphium Caroli

## VALESI DVCIS AVRELIAE.

*Loquuntur Vita, & Mors.*

M. *Vita, quid hoc sibi uult quòd cùm sit luctus ubique*
*Cum planctu, & gemitu, tu nihil ipsa, gemas?*
V. *Quid gemerē?* M. *Quòd sit sublatus Carolus:* V. *unde*
*A uita:* V. *est uitæ redditus imò suæ.*
M. *Hunc ego num nuper crudeli morte peremi?*
V. *Non:* M. *uolui:* V. *est aliud uelle id, & efficere.*
M. *Viuit adhuc?* V. *uiuit, melius quàm uixerit antè:*
M. *Cum quo?* V. *cum Christo, cumque diis reliquis.*
M. *Eripui saltem corpus mortale, & honores,*
*Cum auro, cum argento, cum patre, cum patria.*
V. *Falleris: hæc eadem multò meliora dedisti,*
*Tantum abes, ut quicquam morte tua abstuleris:*
*Versabatur in hac lachrymarum ualle misellus,*
*Nunc autem cœlum pro patria obtinuit.*
*Pro patre rege, deum regem, regumque magistrum,*
*Pro claro argento, sydera clara poli.*
*Olim hominum conuictor erat, conuiua deorum*
*Nunc est, ac fruitur nectare & ambrosia.*
*Quin ut humo granum frumenti si putrefactum est,*
*Tum demum exsurgit cum uiridi stipula,*
*Sic caro cum fuerit tumulis putrefacta, resurget*
*Fulgidior longè quàm iubar ætherium.*
*Ergo mihi seruas ô mors quos perdere credis,*
*Ac illis prodes queis nocuisse putas.*

*M. Cur igitur plorat tam tristis Gallia? V. nempe*
*Quòd tu illi abstuleris Carolum ut illum habeam,*
*Hoc ægrè posthac caritura est Gallia, quo fit*
*Eius ut ex oculo riuus utroque fluat.*
*Carolus author erat firmandi fœderis inter*
*Galliam, & Hesperiam, quod nequit esse ratum:*
*Carolus Italiæ partem quæ est debita Gallis,*
*Imò adeò totam redderet Italiam.*
*Nec solum regni fines seruare paterni,*
*Sed potuit bellax amplificare patri.*
*Nam licet esset adhuc ætate tenellus ephebus,*
*Iam tamen æquabat mente, manúque senes:*
*Ac qualis Græcis quondam generosus Achilles,*
*Qualis Troianis Dardanus Hector erat*
*Qualis Romanis inuictus Scipio, talis*
*Aut maior tribus his Carolus unus erat,*
*Vt mirum non sit, si tantum Gallia ploret,*
*Quæ tantum tanto perdidit orba duce.*
*Quanquam non orba est quæ permutasse uidetur*
*Mortalem diuo: M. diuus an ille modò?*
*V. Est: & commodius poterit præstare iuuamen*
*E cœlo, quàm si Gallia haberet eum.*
*Gallia speret in hunc, spes non est uana futura.*
*Iuuit homo, diuus nonne iuuare potest?*
*Hercle potest, & uult, sed posse & uelle, ualebunt:*
*Ergo tuum diuum Gallia læta cole.*

LEODEG. A QVERCV

# Deploratio abitus

IO. CORRASI IVRISC. Tolosani, à Valentinis euocati.

Loquuntur Hospes & Ciuis.

H. Vnde hominũ grauiũ redeũt tot millia? C. ab aula
Iuris ciuilis: H. qua ratione gemunt?
C. Nimirum quoniam uerbis lachrymantibus, illic
Corrasum audierant dicere tristè uale.
H. Cur linquit patriam? C. à patria quia linquitur ipse:
H. Fortè quòd in patria nemo propheta: C. puto.
H. Quàm bene de patria merit⁹? C. q̃ q optimè: H. at ĩde
Quæ data pro meritis præmia? C. nulla quidem.
H Ingrata est aduersus eum· C. ast huic gratia tanta,
Quanta Themistocli uix fuit eximio.
H. Ergo Themistoclem ueluti sua patria spreuit,
Sic sua Corrasum læua Tolosa facit.
C. Inconsultè: etenim est sensura Tolosa carendo
Quàm Corrasus erat frugifer, atque uigil.
H. Percipiet, si Corrasus corrascrit omnes.
C. Corradet doctos, turba manebit iners.
H. Tum uerò patria hunc precio, precibúsque uocabit,
Vtque Themistocles in patriam adueniet.
C. Quid si noluerit? H. Flectetur amore suorum:
C. Nemo suorum eius flexus amore fuit.
H. Attamen est durum patriáque, suisque carere:
C. Durius est multò destitui à patria.

Nec tam demiror si Ithacam dilexit Vlysses,
  Quàm quòd Corrasum patria non redamet.
Nam si Ithacam quondam pulchrè decorauit Vlysses
  Corrasus decorat pulchrius hanc patriam.
H. Si fumus patriæ est alieno clarior igne,
  Si patria immemores non sinit esse sui:
Nónne remigrabit Corrasus? C. Mehercule nunquam.
  H. Cur? C. quoniam omne solum patria magnanimo.
H. Debemus permulta loco quo nascimur: C. esto:
  Sed nasci modicum est si esuriamus ibi.
H. Ergo Valentia erit Corraso patria posthac:
  Dans mercem, uestes, ligna, alimenta, domum.
C. Patria erit melior quàm sit Germana Tolosa,
  Quæ nil Corraso peruigili exhibuit.
H. Interea fiet studij iactura Tolosæ:
  C. Cur studiosi hominis non studiosa fuit?
H. Nónne satis studium compensat gloria? C. partim:
  Sed decet adiungi gloriæ opes aliquas.
H. Quid si sufficeret studio sua gloria? C. sanè
  Corrasi studio gloria sufficeret:
Vt tamen omnino detur quod sufficit illi,
  Cum summis opibus gloria summa fiet.

Diuinißimus omnium ſophorum
Qui ſunt, quique fuere, iudicatur
Nobis eſſe Plato: Plato inquam amator
Summus rhetorices, tamen poëſis
Oſor ualdè: ut hic exigi poëtas
A præſtantibus urbibus iuberet,
Quòd multa edoceant mali poëtæ
Impura, inſipida, impudica, inepta,
Quæ reddunt animos ſalaciores:
Hoc nimirum agitant mali poëtæ.
Sed tantò optimus omnium poëta
Vixit Pythagoras Samon uenuſtans,
Quantò olim optimus omnium ſophorum
A doctis habitus Plato: Plato autem
contentus rigida fuit ſophia.
Verùm Pythagoras ſophus, ſophiæ
Iunxit phœbicolam, & ſacram poëſim,
Omnibus numeris ita abſolutam,
Vt nil addere, nilque demere illi
Poßis, ni tu adimas uetuſtioris
Paganiſmi aliquem improbatum amorem.

In fragmentum libri primi Acad. Quæſt. Cic.

Cur tu (candide lector) infrequenter
Voluis frugiferum hunc breuem libellum?
An quòd dimidiatus, & lacer ſit?
Tantum dimidiatam ad umbilicum
Depinxit Venerem colore Apelles,
Maioris tamen æſtimamus illam,
Quàm omnes illius integras tabellas.
Tu ſanè in ſimilem modum æſtimare

Debes particulam breuis libelli
Pluris, quàm facias probè integellos.
Nam miram inuenies profunditatem
Rerum, si modo delphicus natator
Contingas, lege, lectio iuuabit:
Gemmæ prætenues ita eliguntur.

In Dialogos Cic. de Legibus.

Vis ius pontificum, naturæ, ciuium, ad unguem
Noscere? fac noscas hoc Ciceronis opus.
Nam ius pontificum, naturæ, ciuium, ab illo
Percipies, sic ut non aliunde magis.
Nanq; docet quicquid scripsit Plato, Phydo, Lycurgus,
Eudoxus, Mneson, Pyttacus, Androdamus.
Ergo uis cunctos ediscere? tu hoc opus unum
Discito: cunctorum scilicet instar erit.

In Dialogos Ciceronis de natura deorum.

Prudenter monuit Plato in Cratyllo,
Vt perquam timidè, & piè, & pudenter,
Disceptatio de deo inferatur.
Altum nam sapere haud oportet unquam
Ne si tu Phaëtontis, Icariue
Ausus pertemerarios sequaris,
Illorum patiaris & ruinas.
Volue ergo reuerenter hos libellos,
Ac si quando modestus extitisti,
Hîc maiore modestia proberis.
Præsertim quia more Christiano
Paganus Cicero loqui recuset.

In opusculum de optimo genere oratorum, ad discipulos suos.

Musarum, & Charitum beati alumni,
Qui contenditis omnibus lacertis
Aptè dicere, & atticè, libellum
Hunc euoluite sedulò, docebit
Quem uos quæritis impigrè Atticismum:
Vt Demosthenis in modum queatis
Delectare, docere, permouere,
Cum quadam lepida palæstra, & arte,
Qua semper tenui in negotio, uos
Sitis prætenues, in arduo alti,
Instante inter utrunque temperati.
Nimirum uariare sic solebat
Ipse (olim) atticus omnium atticorum
Flos, quo Palladias negant Athenas
(Dum starent) magis Atticas fuisse.

In flores epigrammatum à uariis collectorum, ad lectorem:

Euoluens epigrammaton libellos
Omnes qui in precio putantur esse,
Spinosos ita sensi, ut absque spinis,
Non posit rosa colligi: Ac ob illud
Sum sectatus Hymeticas apes, quæ
Ex plantariolis suis, bonum mel
Fingunt. Quippe ego reddidi ex cynædis
Puros Pausanias tibi legendos.

Ad eundem, de eiſdem.

Si ſentes odio tibi ſunt, ſi diſplicet aſper
Carduus, aut lolium, uel ſine fruge filix
En pro ſente thymus: pro uili carduo, acanthos:
Pro lolio, baccar: pro filice, ambroſia.

Ad eundem, de eiſdem.

Si quis es impurus Corydon, cui gratus Alexis:
Si quis es Alcides, qui tibi quæris Hylam:
Verte alio pathicos uultus, hic nullus Alexis
Cernetur, nullus conſpicietur Hylas.
Sed tibi Bellerophon purus, pro lubrico Alexi
Succurret: uice Hylæ caſtulus Hyppolitus.

Ad Philip. Lenuncurtium.

Sunt tria quæ prorſus faciunt nos eſſe beatos,
Commoda fortunæ, corporis, ingenij.
His ſupra cunctos cum ſis cumulatus abundè,
Sors ſupra cunctos una beata tibi.

Ad dominum Tiſſerium.

Non debet cuiquam res hæc miranda uideri,
Si tu ſis magno corpore progenitus.
Non poterat natura tuas includere dotes
Ingenij tantas conpore prætenui.

De cuiusdam conuiuio.

Quatuor omnino rebus conuiuia magna
Laudantur, sicut Gellius enumerat:
Cùm sunt conuiuæ belli, bellus locus, esca
Bella, dies bellus quum sine nube nitet.
Quatuor hæc hodie tibi sunt uir suscipiende,
Debentur siquidem quatuor ista tibi:
Sunt tibi conuiuæ belli, bellus locus, esca
Bella, dies bellus, qui sine nube nitet.
Plaudimus ergo tibi, cui iucundè omnia plaudunt,
Conuiuisque tuis omnia læta damus.

De Castellano.

Pallada Phydiacam celeberrima in arce locarunt
Cecropidæ, quòd erat credita digna coli
Sed Castellanum te Pallas in arce locauit,
Quòd sis Palladio dignus honore coli.

De eodem.

Si mera nobilitas hæc est quæ moribus ornat
Mentem, tu fulges nobilitate mera:
Tantò etenim tua mens cunctis superueminet una
Quantò aquila inter aues altius ire solet.

De Abbate diui Pauli.

Quàm bene candidulo præsul uestiris amictu,
Quàm malè uestitu contegerere nigro:

Ad Maludanum, dum ruri esset.

Te recreant in agris gemmæ cum uitibus, at me
Bacchus in urbe magis suauiter exhilarat.
Dat tibi rus salices, fagos, lauróſque, pyróſque,
Vrbs mihi pro arboribus suggerit ampla sophos:
In sylua cantus uolucrum te mulcet: in urbe
Dulce melos Phœbi Mercuriique placet,
Quare delitias urbis iam præfero ruri,
Ac urbem sicut maxima Pallas amo.
Sed ni restituant te nobis herbida rura,
Rura ego Palladiis urbibus anteferam.

Ad Simonem Guisc. prouint. Minorum.

Maxima nullus agit nisi sit uir maximus, at tu
Maxima semper agis, maximus ergo uir es.
Et tamen in minimis habitas, minimúsque uocaris,
Contentus minimo, si nihil est minimum:
Nempe modestus homo tanto minor est sibi, quanto
Maior, magnorum creditur arbitrio.

Ad eundem.

Si quis agendo nihil, malè agit: pugnantia eodẽ
Tempore molitur, nil aliquidque simul.

Ad eundem.

Qui Iouis est, adamat quæ sunt Iouis: es Iouis ergo,
Nanque colis quercum quæ Iouis Aetherei est.

Io. Maludano.

Quem nuper scripsi librum si magnus Apollo
  Laudasset, laus hæc esset honorifica:
Sed quum tu laudas, (qui maior Apolline uiuis)
  Maior Apollinea laus tua (crede mihi) est.
Quin adeò si Mercurius cum Pallade laudet,
  Huius & illius laus minor hercle tua.
Ergo trium diuûm si das suffragia solus,
  Soli debebo plus tibi quàm tribus his.

Eidem.

Mitte Mineruales quas tu promittis oliuas,
  Vt soluas quam uult docta Minerua fidem.

Eidem.

Quàm te Pallas amat, quàm Pallada diligis, à qua
  Tantus oliuarum proueniat cumulus.
Quàm te quercus amat, quàm quercum diligis, ad quã
  Totus oliuarum mittitur hìc cumulus.
Hercle rependisset munus, glandésque dedisset
  Si tibi Palladio glandibus esset opus.
Sed glans debetur porcis, ut oliua disertis,
  Ergo (diserte) tibi glans malè missa foret,
Qua causa dulces pro glandibus accipe ficus:
  Ficus Palladium sicut oliua decet.

Eidem.

Cur mihi plus rerum donasti quàm tibi serues

Quòd me plus quàm te diligis, atque colis.

Eidem de uersibus cum sale niueo missis.

Cum sale uersiculos misisti plus sale salsos,
Et mihi candidulos, & mihi dulciculos
Sal grauis ob molem, uersus ob sensa, sed ille
Duntaxat grauis est, hi in grauitate leues,
Aetas longa salem poterit consumere totum,
Aetatem poterunt uincere uersiculi,
Non igitur tanti quòd longa ætate peribit,
Quanti quod poterit uiuere perpetuò.

Henrico Mesmio.

Fronte, genis, oculis, naso, mentoq;, labroq;,
Plus similis patrises, quàm pater ipse sui.
Sed magis huncce refers animo, uirtute, sophia,
Moribus ingenio, dexteritate, fide.
Commune hoc tibi cum paucis, cum pluribus illud:
Hoc perraro, illud fit prope quottidie.
Naturæ debes illud totum, tibi uerò
Hoc: illud fluxum est: ast erit hoc proprium.

Io. Maludano.

Me quòd auere iubes, iubeo te rite ualere:
Si tu rite uales, me sat auere puta.

Ad quendam.
Quòd Iani tibi nil dedi Calendis.

*In promptu ratio est, ego uidebam*
*Ianum iam faciem suam bifrontem,*
*Hoc est præteritæ rei & futuræ*
*Summam notitiam dedisse dono:*
*Quo quid splendidius queas precari?*
*Sanè uersiculos libens dedissem*
*Ni me mittere noctuas Athenas*
*Scissem. muneribusque temperaui*
*Quòd quum munera diuiti feruntur*
*Tum sunt tendiculæ dolosæ, & hami,*
*Vt plus accipiatur à potente,*
*Quám dono sit ei datum: modo autem*
*Quum quid præteritis dabo Calendis*
*Nemo me (puto) fœnerare dicet,*
*Quare caseolos rudésque uersus*
*Mitto: non equidem ut negotiator,*
*Sed queis testificer fidelem amorem,*
*Nouis quod facerem dolo Calendis.*

De Natali Phil. Lenuncurij Abb. Espernaici.

*Huc musæ, charites, sales, lepores,*
*Risus, lætitiæ, ioci, cachinni,*
*Huc inquam omne genus facetiarum,*
*Nam summum decus elegantiarum*
*Lenuncurius hoc die celebrat*
*Natalem niueo lapillo: abite*
*Curæ, sollicitudines, dolores,*
*Et quicquid grauium molestiarum est,*
*Vt lux hæc sine nube transigatur,*
*Qua lux unica nata Galliarum.*

# Sequitur noſtra adolescentia.

## Lepidum pediculoſi reſponſum.

*Quæſitum à quodam, cúm multa animalia haberet,*
*Cur non eſſet ei copia maior opum.*
*Tunc ita reſpondit, quoniam hæc animalia, quanuis*
*Gratis uendantur, ſumere nemo uolet.*

## Subſannatoris iocus.

*Subſannator ab hinc tribus diebus*
*Vrbem (cauſa animi) perambulabat,*
*Ac cernens aliquos in otio eſſe,*
*Dixit, ſi cupitis nouum uidere*
*Spectaclum, comitamini me euntem:*
*Tandem duxit in ultimum locum urbis,*
*Quo cum languiduli fame, appuliſſent,*
*In uos conſpicite, inquit, & nouam rem,*
*Cernetis: ſiquidem noui eſtis omnes.*

## De diuite indocto.

*Quidam aliquem uidit ueſtitum ſplendido amictu,*
*Sed penitus nudum dotibus ingenij.*
*Tunc ait ô hominis bellam ſtatuam, aſt utinam eſſet*
*Tam bella interius quàm patet exterius.*

## De ruſtico.

De rustico.

Nuper rurestris (cui nomen Ludio) uidit
Plantas, plantarum semine progenitas.
Tum secum tacitè dixit, plantabo ne pannum?
Vt cras nascatur uestis opima mihi?

De Martino & eius uxore.

Vxor Martini sic pedere sæpe solebat,
Vt nunquam somnum carperet ille toro.
Tandem pertæsus fastidia dura puellæ,
Huius stertentis minxit in interulam.
Somno experrecta inquirit cur meiat, at ille
Respondet, uentos paruulo ab imbre abigi.

De iisdem.

Huic catus adpositus fuerat leporis uice, & edit
Donec latrantem pelleret esuriem.
Qua fraude audita, uxori cœnare uolenti
Pro ceruа, mulam rancidulam adposuit.

De stulto.

Stultus cùm peregrè uellet proficiscier, inquit
Illi cui horologij credita cura fuit,
Tardato horologij cursum, ut reuolare priusquam
Noctescat possim, longa terenda uia est.

De eodem.

Huius culcitram catulus macularat oleto.
Vesicæque simul reddiderat lotium.

Proh ſcelus (exclamat) crudeli morte piandum,
Pol, tu quamprimum carcere clauſus eris.
Tunc uinctum catulum claudit penuario, ut illic
Eſcarum longam ſufferat eſuriem.
Verum caſeolos, & carnis fruſta uorauit:
O circunſpecta calliditate uirum.

De paſtore procliui in gulam.

Paſtorem dominus ſemel notabat
Quod (pluſquam ſat erat) gulæ ſtuderet.
Cui paſtor, domine (inquit) hic meus grex
Sumit continuo cibum, nec illi
Exprobras: an ouis puſilla debet
Maiori ſpatio uorare quam uir?

De Rureſtri qui uites radicitus amputauit ut fierent feraciores.

Ex noſtratibus unus amputabat
Sarmenta (ut facere aſſolent coloni
Ne ſubſtantia uitis ebibatur)
Quem cùm conſpiceret colonus alter
Extremè fatuus, ſtatim parauit
Falcem, & funditus hac ferè amputauit
Vites, ut fierent feraciores.

Ad imperitiſſimum medicum.

Si celebrem famam meruit uiolentus Achilles,
Quod fecit multos ſuccubuiſſe neci.
Fama tibi multò danda eſt illuſtrior: ut qui

Plus hominum facias (his medicando) mori.

Aliud ad eundem.

Consilio, ac armis multorum adiutus Achilles,
In bello fudit millia multa uirûm.
Tu sine consilio, nullis adiutus & armis,
Interimis: uirtus maior Achille tua est.

Ad eundem.

Pelides gladio necabat hostem:
Hoc solis agis herbulis: an ergo
Non tu illustrior es potente Achille?

De Petrulo.

Calceolos domini puris mundauerat undis
Petrulus, expurgans undique sorditiem.
Quos herus ut uidit tulit indignanter, & inquit:
Nunquam illos mundes flumine, uerum adipe:
Hoc mandatum animo fixit sic firmiter, ut mox
Et domini interulam lauerit ipse adipe

De eodem.

Ridiculus mos est dum romanalia neustri
Concelebrant, laruas figere in imbritiis.
Quas si rusticuli tentent fortasse uidere,
Clamant rauletos (nomine barbarico.)
Petrulus hoc lusu motus, fecit sibi laruam
De domini cultu, ut comptior illa foret.

Ast herus ignorans facti, cùm cerneret illam,
Extimuit, credens esse se in imbritio.
Tunc illis qui aderant dixit, uos obsecro ferte
Ferte citi auxilium: pendeo in imbritio.

De lurcone auaro.

Lurco erat immodice uini sitibundus at idem
Auri, ac argenti, Sobrius immodice.
Qui dum sentiret grande æs se expendere uino.
Constituit nunquam meiere, ne biberet.
Tandem in uesica lotium computruit, inde
Amisit uitam, cùm retineret opes.

De fure pastore qui furti pœnas luit.

Quidam dux ouium calceolos habens
Pertusa solca, contulit in forum
Se, & furto corium cum pice sustulit
In saccum lacerum quem dum humero adderet,
Pix quæ lubrica erat corruit illico
Per dorsum miseri: & fluxit in infimas
Partes corporeas, quas pudor occulit:
Illic tam rigidè, tamque diu hæsitans,
Vt uix undecima luce cacauerit:
Sic impunè malum non faciunt mali.

De lurcone sexagenario.

Olim quærebam à quodam lurcone, quot annos
Natus erat, quoniam certum erat esse senem.
Respondens, annum solũ sum natus, at annus

Hic, iam multoties est iteratus, ait.

De eodem.

Illum ego cum à senio uellem laudare, petiuit,
Sum ne ego (qui primum dentio) sum ne senex?

De ebrio seruo in cuius os equus cacauit.

Seruus, mirificè satis cibatus,
Disquirens thalamum suum ut cubaret,
Intrauit stabulum: ac ibi supinus
Somnum carpsit hiante naso, & ore:
Mox uentrem exonerat caballus, ac os
Et nasum miseri repleuit: unde
Indignatus, ait: satis comedi,
Quid das ulterius mihi? cui amarum est
Quicquid porrigitur: uide uomo illud.

Lucij ægrotantis facetißimum factum.

Lucius exoptans uentrem mollire: cucurrit
Ad medicum, ut posset reddere uentris onus.
Cui medicus duo dat laxantia pharmaca, quorum
Vnum bucca, aliud podice perbiberet.
Quæ capit & portat: sed dictorum immemor, hausit
Illud bucca, quod podice debuerat.
Qua causa factum est ut bucca & podice, pene
Sexagenorum corbium oleta daret.

De Lucia eius filia.

Nata eius maior natu cui Lucia nomen,

Cuidā uendebat meſpila cruda uiro.
Ac ut ei melius laudaret meſpila, dixit
Mollia ſunt pluſquam ſtercora, guſta, & eme.

De ſomniatore qui oletum reddidit lecto.

Fuſca nocte aliquis ruſcio ſomnians,
Credebat ſe in agris tres cumulos opum
Effodiſſe, & ait: ſtercoribus tribus
Signabo, ut melius comperiam locum.
Quod fit, terque cacat, ſed miſer excitus
Prima luce, toro quo recubans erat.
Inuenit uice opum uilia ſtercora,

Nix fabro. S.
Viue, Vale, Salue, faber ornatiſſime fabrum,
Qui deſiderij blanda Cupido mei es.
Scripta ego miſiſſem (quanuis non cogis) at hercle
Malo meum corpus mittere, ſi ipſe uoles.
Si ipſe uoles tamen ut mittatur ſcriptio, mittam
Scriptio ſi fuerit corpore grata magis.
Sed mihi candidulum corpus ſi noueris eſſe,
Scriptio uilleſcet, corpus habere uoles.
Quandoquidem cum ſis mirus candoris amator
Hic tibi gratus erit qui mihi candor ineſt.
Cuius ſi quod opus fuerit potes (ut lubet) uti
Verum candoris (ſat ſcio) tu ſat habes.
Vale.

Quæſtionum prima, ad quendam qui inſipientis & ſapientis perſonam geſſit.

Tu qui olim ſapiens, uerum ex ſapiente repente
Factus es infronitus morio, & inſipiens.
Dic, an qui ſapiunt uita meliore fruantur,
Quam facit infronitus morio, & inſipiens?

Quæſtio ſecunda.

Gryllus cum ex homine in ſuem, fuiſſet
Transformatus ab herbulis malignæ
Circes, cur ſpeciem ſuis tam amauit,
Vt tunc maluerit manere ſus, quàm
Vir rurſum fieri? an ne (quæſo) forſan
Quod uiuunt melius ſues? minúſque
Peccant, quàm faciant uiri? hercle opinor.

Quæſtio tertia.

Marcus cerdo domunculam extruebat,
Quæ demit miſero exeunti ocellum.
Quæro ergo an ne domunculam hanc, uocemus
Recte domoculam? nam ocellum ademit.

Quæſtio quarta.

Fur mane ingrediens domum coloni
Cuiuſdam, rapuit meri quaternos
Scyphos, nec ſatis hoc ei, ſed armum
Veruecis ſimul abſtulit latenter:
Tandem cùm proficiſcitur per agros,
Inuenit rapidum lupum, qui ademit
Vitam cum mero, & armo: id ergo quæro

An non restituenda sunt ea illi?

Quæstio quinta, de Sciolo.
Ipse loquitur.

Soli me uincunt homines doctrina: ego uinco
Solus doctrina cætera bruta soli
Quis me igitur scitum, doctúmque negauerit esse?
Cum maiora uiris plurima bruta sient?

Idem de seipso argumentatur.

Heus uos, est cerebrum mihi peræquè
Magnum, ut quinque ouibus simul repostis,
Nec quit uerbula quinque continere.
Sed multos hominum disertiorum
Vidi qui cerebro minus capaci
Sunt quam sola ouis, ergo confitendum est
Illud, quod minus est capacitate,
Multo grandius est magis capaci.

Seria.
Stephano Rufo.

Tunc bene conueniunt rebus sua nomina, quando
Res ipsæ ex ipso nomine nomen habent.
Vnde fit ut Stephanus rectè uociteris, ob id quod
Inter Christilogos ruffa corona sies.

Ro. Botherelio.
Cùm sis alter ego, & sim alter tu, si tibi mittam

Cudis, ob id superas Dedalum, ut ille alios.

Eidem.

Nos fabricando sumus fabri: qui tempore in omni
  Fabricat, hic tandem fit faber egregius.
Sed si ipsis fabris operosa industria tantum
  Famæ addit, quantum temporis extat opus,
Fama tua insignis tam multos stabit in annos
  Vt nullo seclo poßit habere modum.
Nempe tuas statuas nunquam Iouis ira, uel ignes,
  Vel tempus, uel edax ulla senecta teret,

Ad G. Villicum.

Villice uis dicam? uis dicam, uillice? cur tu
  Ad tui amorem omnes tam facilè allicias?
Scitus es, urbanus, facilis, studiosus, amœnus,
  Tanquam musarum creueris in gremio.
Quisnam igitur musas tantum odit uillice, quem tu
  Ad tui amorem arctum non facilè allicias?

Cuidam.

Crudeles furias leniuit Thracius orpheus,
  Et mulsit Stygij cantibus ora canis:
Attraxit secum fluuios, syluásque, ferásque,
  Reddidit odrisia mollia saxa chely.
Ille sed ingenium mulieris reddere molle
  Nec cantu potuit: dulcisonáue lyra.
Nempe adeò durum gerit in ceruice cerebrum,
  Vt tanta non sint duritie lapides.

*Verum abs te hac in re superatur Thracius orpheus,*
*Qui sermone domas fœmineum ingenium.*

Adr. Tornebo.

*Vt teneras segetes refouet nix fusa per agros,*
*Vt fimus abiecto stercore nutrit humum,*
*Vt somni, atque dapes, hominum corpuscula pascunt,*
*Ars tua sic animos recreat, & reficit.*

Io. Hamelio.

*Hameli mihi charior lapillis*
*Quos rubrum pelagus tegit sub unda*
*Dignare huc propero uenire cursu,*
*Natalem celebro die hoc meum: Cui*
*Si tu defueris, nigro lapillo,*
*Nigris ominibus, notaque nigra,*
*Nigricantibus omnibus notabo:*
*Qua causa rogo, si me amas, ueni: nam*
*Lux hæc non sine nube transigetur,*
*Ni fiat salibus tuis serena.*

*Christus Christianum consolatur.*

*An metuis fili? fili an trepidas? ego sanè*
*Plus timeo tibi quam tu tibi forte times.*

*Aduocatum habemus apud deum, Iesum.*

*Cùm sis patronus coram patre (dulcis Iesu)*

*Quomodo nostra hominum causa perire potest?*

De grauitate peccati.

*Quid grauius ferro? ferro quid durius usquam?*
*Peccatum tamen est durius, & grauius.*

Lachryma.

*Vt cito restinguit flammas fluuiatilis unda,*
*Iratum placat sic lacryma una deum.*

N. Lepori.

*Non lepus imò lepos fueras uocitandus, ob id quod*
*Tu magis es lepidus quàm fiet ipse lepos.*

# Epitaphium Io. Fabri per dialogismvm

*interloquutoribus Parisino & Nornano.*

P. *Cui⁹ ibi tumulus?* N. *Fabri,* P. *quis cōdidit?* N. *Orphe⁹*
P. *Quo comitante?* N. *Lino.* P. *quanā ope?* N. *Mercurij:*
P. *Quæ sunt custodes?* N. *charites.* P. *quid delitet intus?*
N. *nil.* P. *ubinam corpus?* N. *Calliope eripuit.*

P. Quonã? N. in prædulcẽ Parnasũ. P. cur ita? N. Apollo
Sordebat musis, est modo Apollo Faber.
P. Spiritus eius ubi est? N. In cœlo P. nomen? N in orbe.
P. Cur non hoc tumulo clauditur? N. hercle nequit.
P. At cur tã madida est tumuli huius terra? N. ꝙ urbe
Ac orbe excessit collachrymante Faber.
P. Hiccine amabatur tã arctè? N. sic me hercule. P. quare
N. Quod summa ante alios integritate fuit.
P. Qui uerò exequias celebrarunt hasce? N. Minerua,
Nymphæ, munditiæ, delitiæ, ueneres:
P. Quando mortuus est? N. nunquam, sed uiuere cœpit
Quando mori est uisus, mors ita uita fuit.
P. Ergo si uiuit cur fletur? N nempe quod absit:
P. Absenti præsens tu potes esse prece.
Quare tu ac quiuis Fabri amator, qui modò præsẽs
Absenti esse cupis, sancta precare Fabro.

N. Regio.

Regie uis dicam cur hoc cognomine dignus
Dicaris? quoniam tu omnia regia habes.
Regius est animus, mens regia, regia forma,
Regius est sermo, regium & ingenium,
Regius incessus, maiestas regia, mores
Regij, & in toto regius ore decor,
Ac ut perstringam paucis mi Regie, regis
Omnia habes, regis Regie tu omnia habes.
Quòd si fortè foret nobis opulentia Crœsi,
Crœsi diuitiis regia sceptra darem
Sed mihi nil aliud superest quod tradere poßim,
Quam ex nostra quercu quernea sceptra tibi.

*Quæ si non renuas, tua tanta modestia apertè*
*Monstrabit quàm sis indole regifica*

De Minerua.

*Cur genita ex cerebro Iouis ingeniosa Minerua?*
*Quod cerebro uacuus nemo disertus erit.*

In uoluptatem.

*Si tanto nobis opere est inuisa uoluptas*
*Si nos ærumnis opprimit innumeris,*
*Si miseros, si infelices, si reddit egenos,*
*Si fœdis porcis nos facit esse pares,*
*Si (quod præ reliquis est formidabile) pellit*
*In phlegetontæi tetra baratra dei,*
*Cur illam colimus? cur toto pectore amamus?*
*Cur sequimur? stultum id, cum nocumenta ferat.*
*Præterea breuis est & lubrica, labitur horæ*
*Momento, cursu præterit illa nothum:*
*Ergo sit à nobis procul empta dolore uoluptas:*
*Multum aloes, mellis continet illa parum.*

## VERSA EX GRAECIS, ET *carmine composita per Leodegarium à Quercu.*

Ex Nicandro.

*Nectere heri laqueum cupiens Dinarchus auarus,*
*Glauce ob sex obolos nectere deseruit.*

*Sex obolis laqueus constabat, sex dare nolens*
*Quærit mortem aliam, ut uilius intereat:*
*O grauem auaritiam, qui morte perire uolebat.*
*Glauce ob sex obolos morte perire times.*

*Incerti authoris.*

*Natorum curæ ingentes ceu uita sinistra*
*Contingat, ceu etiam dextera & incolumis.*
*Sed curæ uxorum grauiores, nanque bonarum*
*Delicium exiguum est, uita malarum ea mors.*

*Incerti authoris.*

*Quædam anus exitium uini, cum aliquando doleret:*
*Diuino fecit talia uota Ioui:*
*Si phlegetontiacæ ardorem uitauero febris,*
*In centum soles ros mihi potus erit:*
*Postquam autem euasit morbi sur perabile fatum:*
*Luce eadem tales est fabricata dolos.*
*Arripuit cribrum pertusum & uidit apertè*
*Tot soles quot erat pollicitata Ioui.*

*Nichomachi.*

*Tres graciles modò certabant molimine summo*
*Inter eos esset quis magis exiguus.*
*Inter quos Hermon celebrem prætexuit artem*
*Cùm transmisit acum, linea fila trahens:*
*Demas deinde hæsit progressus aranea in una,*

*Quem nens suspendit paruus araneolus.*
*Sosipater uerò exclamat mihi danda corona est,*
*Si uideor uincor, spiritus ecce ego sum.*

Ex Lucilio.

*Hermocrates moriens, rutili cupidißimus auri,*
*Hæredem sese scripserat in tabulis:*
*Enumerans autem in lecto quantum dare oportet*
*Pro medicorum opera si auxilientur ei,*
*Præterea numerans sumptus quos fecerat æger*
*Incepit tandem collachrymare dolens,*
*Quos ne ut adaugeret, medicis si solueret unam*
*Drachmam ut succurrant, maluit ipse mori:*
*Sarcophago impositus naulum pro merce charontis*
*Solum habet, hæredes cuncta bona accipiunt.*

Incerti.

*Heraclete gemas priscis uehementius annis*
*Nam præsens ætas est miserabilior.*
*Plúsque ô Democrite irride quàm irriseris olim*
*Magnum etenim risum uita hodierna petit.*
*Vestrum ego contemplans utrunque, excogito quidnam*
*Subsannem cum uno, aut quid cum alio lachrymer.*
*Scena & ludicrum omnis uita: aut ludere disce*
*Seria contemnens, aut tolerato malum.*

Lucilij.

*Si celer æquè esset pes ut manus ipsa Dioni,*

Hoc ipsum credens (alcime) pratenue:
Si uerò Diophantus ea ipsa ætate fuisset,
Qui minimis atomis est minor & leuior.
Ex Diophanto Epicurus mundum hunc esse putasset,
Aut cuncta ex Atomis, ex Diophanto Atomos.

Ammiani.

Tu citius coruos albos, cocleamque uolucrem,
Inuenias quàm aptum rhetora cappadocem.

Antipatri.

Cursu Arias celerem testatur Persea, qui te,
Condidit, ô magna urbs Tarse Cilissa Asiæ.
Nam ut celeres plantæ Persei, celeres quoque plantæ,
Nati Ariæ, quo non tam Citus ipse pater.
Cũ uel carceribus, uel summo in limite metæ,
Sit uisus semper non medio in stadio.

Poliani.

Qui multum æris habes, cur nullum æs sit tibi, disce,
In fœnus tradis, tu æs & habes nec habes.

Aliter.

AEs uir habens, cur nil habeas intellige, tradis,
Fœnori, ita æs aliis sufficis, ipse cares.

Incerti.

Stertens in somnis Demetrius, Artemidoram
Prætenuem eiecit stertitione domo.

Imitatio cuiusdam Græci.

Laurus ego fugiens lectum Phœbi unius olim,
Nunc non unius lectulus efficior.

Demodoci in cappadoces.

Vipera cappadocem malè sana momordit, at ipsa,
Gustato periit sanguine cappadocis.

Imitatio, ex Lucilio.

Maiori in furca socium pendere uidebat,
Liuidulus Diophon tabuit inde miser.

Leonidæ.

Nicticorax cantat læthaliter, ast ubi cantat,
Demophilus, moritur carmine nicticorax.

Leonidæ.

Musicus occidit uicinos Similus omnes.
Origene excepto, dum malè nocte canit.
Origenem surdum natura creauerat, obq́ue id
Illi pro auditu commoda uita data est.

Lucilij.

Furum ostensorem Phœbum clam sumpserat olim,
Euthicides, dicens ne memorato precor.
Artem articonfer, manibúsque oracula, uatem,
Furi, diuinum sorte uirum Eutichidi.
Venditus at uerò ut fueris tunc protinus effer.
Emptori de me qualiacunque uoles.

Incerti.

Omnia te oderunt feritate simillime brutis,
Hinc tibi ubique parat mors fera tendiculas.
Nanque super terram si fugeris, hic lupus anget,
Si super arbustum, te premet aspis atrox.
Sin adeas Nilum instabit crocodilus, acerba
Bellua contra homines qui nimis impiè agunt.

Ammiani.

Paruum macronem sopitum æstate retraxit,
In caua paruus mus hunc pede corripiens.
Qui quum experrectus murem iugulasset in antro
Exclamat diuos, alterum hic Herculem habet.

Lucilij.

Perleuis est Gaius, qui cum urinaret in undis,
Appendit plumbum & grandia saxa pedi.

Archiæ.

Ille ego quem trepidum nequiit disperdere bellum,
Opprimor à morbo qui mihi militia est.
Vulnifice ergo ensis pectus mihi triste penetra,
Vt pellam morbum nunc quasi militiam.

Incerti.

Quidam aliquando ignoranter de palmite uitis,
Vuam uiniferam ut manderet exsecuit.
Cuius amaritie offensus, proiecit ut esset,
Sub pedibus tanquam futile quisquilium,
Huic ignaro utinam infestus sit Bacchus, ut olim
Antè lycurgo, is enim lætitiam exsecuit:
Lætitiam inquam excrescentem, quæ fortè bibentes,
Fecisset canere, & pellere cordolium.

Incerti.

Fœmina seu casta est, seu mœcha, ut scribit Homerus,
Est generi humano plurima pernicies.
Sicut enim ex Helena fluxisse homicidia certum est,
Sic ex Penelope, mors data multa uiris.
Ilias ergo Helenes unius nomine scripta est,
Cæterum Odyssea est nomine Penelopes.

Parmenionis.

Mutatorem illum terræ pelagique uiarum,
Nautam telluris, tum pelagi peditem,
Sustinuit spartæ Mars ter centum acribus hastis,

Vos ergo ô montes, túque timesce mare.

Pallada.

Ab Ioue pro igne alius datus ignis, fœmina adurens,
Atque utinam haud essent fœmina & ignis edax.
Ipse quidem flagrans subito restinguitur ignis,
Ardor inextinctus fœmina, & ignis edax.

Imitatio.

Hæc duo calfaciunt uehementer, fœmina & ignis,
Fœmina calda tamen calfacit igne magis.
Cumque ignem modici restingant fluminis undæ,
Restingui nescit fœmina ab oceano.

Ad Angelum Congnetium.

Cur uites potius quàm oleas disponis in agris?
Plus olei absumens, quàm (uigilando) meri?
Si tu Palladius, tibi Palladis arbor habenda,
Bacchi, uinosis uinea danda uiris.

Ad Dionysium Riant.

Si fontes, fluuij, feræ, paludes,
Montes, robora, sunt sequuta quondam
Vocem mellifluam canentis Orphei,
Permirum: sed enim magis stuperem
Ni te suauiloquus sequatur Orpheus,
Quem dulci eloquio ter anteuertis.

LEODEG. A QVERCV

Ad pios manes Pauli Paradisi profesforis (nuper) Regij.

Insignus (Paradise Paule) splendor
Musarum, charitumque, qui peristi
Tota flente Lutetia, ast Olympo
Applaudente, ubi nunc sedes quietus,
Descende huc iterum, tui precantur:
Nam postquam inuida fata te tulerunt,
Nemo substitui tibi meretur.
Hac ergo ratione nunc necesse est,
Vt sis suppositius tibi ipsi.

FINIS.

Ad Lectorem.

Horarum omnium homo, leuibus leuis esse laborat.
Ergo caue his leuibus ne uideare grauis.

